4° Philol. 42

<36615983520010

<36615983520010

Bayer. Staatsbibliothek



R. Aloja sculp.

NICOLAUS IGNARRA

AETATIS SUAE ANNORUM L.

Ignarram adspicito vestigia magna legentem,
Quae saecli impressit gloria Mazochius

Nicol. Ciampittii

NICOLAI IGNARRAE

S. NEAPOLITANAE ECCLESIAE CANONICI

ET IN REGIA STVDIORVM ACADEMIA

SACRAE SCRIPTVRAE

PROFESSORIS EMERITI

OPVSCVLA

PARTIM IAM EDITA PARTIM INEDITA
COLLEGIT ET EVVLGAVIT

IOSEPHVS NICOL. F. CASTALDIVS



In aedibus quondam Comitis Magdaloni nunc Principis Colubrariae ex eadem Carafaeorum domo Neapoli

NEAPOLI ANNO CIƆIƆCCCVII.

APVD VINCENTIVM VRSINVM

Publica Venia.

Wb166/740

C. PLINIVS SECVNDVS

Epistolar. lib. 11. *epist.* 5.

Adnisi certe sumus, ut quamlibet diversa genera lectorum per plures dicendi species teneremus. Ac sicut veremur, ne quibusdam pars aliqua, secundum suam cujusque naturam, non probetur: ita videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet. Nam & in ratione conviviorum, quamvis a plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen coenam laudare omnes solemus: nec ea, quae stomachus noster recusat, adimunt gratiam illis, quibus capitur.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

AMPLISSIMO DOCTISSIMOQVE VIRO

FRANCISCO DANIELIO

PATRITIO SYRACVSANO
REGNI NEAP. ET HIEROSOLYM. ORDINIS
HISTORICO
REGI A BIBLIOTHECA PRIVATA
REGIAE ACADEMIAE A SECRETIS
SOCIETATIS REGIAE LONDINENSIS
ET IMPERIALIS ACADEMIAE PETROPOLITANAE
SOCIO

IOSEPHVS IGNARRA
S. P. D.

QUantum equidem Nicolao Ignarrae Patruo meo benemerentissimo debeam, Tu cum primis, DANIELI amplissime, callere debes; quippe a prima aetate homine usus es familiarissime. Itaque temporis illius potes optime recordari, quum is me, parente meo orbatum,

vix ferme matris uberibus depulsum domi suae excepit; ne materna, uti fieri saepenumero dolemus, indulgentia, puerilis animus plus aequo emolliretur; ac deinde a severiori disciplina, ad quam ille me instituere decreverat, abhorreret. Atque hic nequeo sine intimo quodam voluptatis sensu pueritiae meae rudimenta memoria repetere: obversatur enim ante oculos & benevolentia, qua me, quum vice parentis utriusque fungeretur, complectebatur; & industria, qua mecum quodammodo repuerascere grandis jam natu videbatur, atque illius aetatulae crepundiis quasi oblectari; ut jam inde teneros mores componeret ad normam virtutis. Equidem sic statuo, ne solertissimos quidem opifices in fingendis e cera imagunculis tantam solertiam, operamque impendisse, quantam ipse in animo mihi ad honestatem efformando collocavit. Quum autem succrescere paullatim aetatem videret, planeque fore necessarium, ut bonis artibus, ingenuoque adolescente dignis animus inficeretur, quo ad obeunda civilis vitae munia esset accommodatior; ipse eam provinciam suscipere, quam quod maxime, discupiebat. Sed multae, magnaeque occupationes, quibus distinebatur, impedimento fuere, quominus,

quod

quod animo destinaverat, ad exitum perduceret. Quamobrem Patruus amantissimus me in Regio SS. Salvatoris Ephebeo, quod ea tempestate & praeceptorum praestantia, & disciplinae severitate maxime florebat, litteris imbuendum curavit. Neque ille, ea re perfecta, officio defunctus esse sibi videbatur: nullum enim fere diem elabi patiebatur, quin temporis aliquid e negotiis surriperet, atque in rem praesentem veniret, quid proficerem exploraturus. Et quandoquidem nihil habebat animi, ingeniique cultura antiquius; nunquam a me digrediebatur, nisi, prout res postularet, vel laudando, vel admonendo, me acueret ad doctrinas impensius excolendas. Postea vero quam ex ephebis, atque Ephebeo excessi, ejusque domum remigravi; mirum sane quanto studio ad stabiliendam fortunam meam excitaretur. Statim enim ipse Marchionem Carolum Demarchum Regis a Secretis, & a Consiliis sanctioribus, virum summa prudentia, maximaeque integritatis adiit; ab eoque contendit, ut mihi, quemadmodum olim parenti meo, locus esset militandi in Scriniis Regiis. Quod munus sacris codicillis mihi delatum non maiori me, quam Patruum laetitia

cu-

cumulavit. Atque per idem tempus saepissime mihi recipiebat, se, modo sibi dicto essem audiens, & consiliis monitisque suis obsecundarem, nihil praetermissurum quominus, quantum cura, labore, gratia eniti posset, tantum ad me honestandum, ornandumque conferret libentissime. Iamvero haec cogitantem oppressit senectus, attulitque, quod maxime mihi delendum est, rerum omnium oblivionem: ne in hoc extremo vitae actu ab immortalis memoriae viro Alexio Symmacho Mazochio studiorum suorum duce & auctore quidquam differre videretur. At quam gravi me maerore affecerit ea calamitas; nihil est, quod hic pluribus commemorem. Etenim acerbissimus ille casus omnem spem fortunamque meam, quae laetior in dies mihi arridebat, veluti quaedam vis turbinis vehementioris dispulit ac dissipavit; & Patruum gloria illa, atque auctoritate multis magnisque vitae totius laboribus collecta, qua senex maxime, si mens ratioque constaret, florere apud suos debuisset, omnino expoliavit. Ex his, quae cursim hactenus persequutus sum, intelligis, optime DANIELI, me, quantus quantus sum, tantum Nicolao referre acceptum debere. Qua de re, quum diu mecum multumque

co-

cogitarem, ecquid tandem a me pietas expoſceret, quo paternae illius in me caritati reſponderem, omnemque ingrati animi a me ſuſpicionem averterem; ſtatim perſpexi, mihi ſummam curam diligentiamque adhibendam eſſe iis in rebus, quae non ſolum ad ſenis optimi tuendam valetudinem, ſed etiam ad nomen famamque illuſtrandam pertinerent. Equidem iampridem totus in eo ſum, uti & victus ſalubritas, & veſtitus mundities, & reliquus vitae cultus efficiat ipſi & ſenectutem leviorem, & vitam, Deo volente, diuturniorem. Quod vero ad doctrinae nominiſque celebritatem attinet; conſilium coepi in lucem emittendi pluſculas varii argumenti lucubrationes ab eo pro re nata conſcriptas, quas in forulis compreſſerat, nec vulgandas curaverat: eodemque adieci aliquot e multis Inſcriptionibus, & Carminibus amicorum rogatu concinnatis. Porro me rem litterarum amatoribus pergratam facturum exiſtimavi, ſi quae ille idem alia aliis temporibus lucis uſura donavit, ſed molis exiguitate diſperſa vix apud paucos, qui in aſſervandis eiuſmodi ſcriptiunculis ſunt curioſiores, invenirentur, corraderem omnia, atque recuderem. Quot quidem illius ingenii doctri-

nae-

naeque fetus aliquid laudi, quam is sibi apud Eruditos comparavit, addituros confido. Atque utinam ipsorum parens mente, ut antea, consilioque valeret! in hominum certe conspectum prodirent ornatu, comptuque festiviori. Perspexisti, DANIELI praestantissime, quae me rationes impulerint ad horum Opusculorum editionem adornandam. Cur vero Tibi potissimum inscribendam duxerim, difficile non est divinatu. Tu enim ita cum Patruo meo familiariter vixisti, nihil ut fieri poterit arctius vestra conjunctione. Neque vero secus accidere poterat: nulla siquidem amicitiae conglutinatio major est, aut diuturnior, quam quae ex virtutum, morum, studiorumque similitudine coaluit. Memoria profecto tenes, Te, quum Pater tuus pene puerum in Mazochii viri sibi amicissimi domum, sive potius in sanctitatis & sapientiae sacrarium deducebat, ibi Nicolaum vidisse, qui e senis sanctissimi doctissimique latere nusquam discedebat; atque illico ejus amicitia implicitum fuisse. Quae tantum abfuit, ut temporis tractu refrixerit, ut etiam magis in dies, praestitis ultro citroque officiis incaluerit. Postquam enim Mazochius e vita decessit, Tu quotidie apud Carolum Demarchum,

quo

quo ornandi tanti viri caussa convenire in more positum, & quasi solemne habebatis, illius consuetudine utebaris. Nec vero hoc tempore senem obliviosum amare, ut antea fecisti, & colere destitisti. Cujus quidem Tui in Nicolaum amoris testimonium, ut cetera silentio praeteream, illud postremum non arbitratus sum, quod ad honestandam ipsius existimationem mecum mirifice conspiraveris. Nam vix Tibi meam rationem aperui; quum Tu continuo auctor, hortator, impulsorque mihi exstitisti, ut quamprimum forulos senis excuterem, schedulas omnes contraherem, praeloque committere festinarem: in eaque re Tuam operam, diligentiamque spopondisti. Quam autem fidem dedisti, pro Tuo more summa religione liberasti: nihil enim curae, laborique reliquum fecisti, quominus haec Opuscula in publicum procederent ornatissima. Atque haec tanti apud me, DANIELI amplissime, fuere; ut mihi committendum non esse autumavi, quin Tibi dicarem has Patrui mei lucubrationes iam lucem visuras, & fidei, tutelaeque Tuae commendarem. Compertum profecto exploratumque mihi est, Te, qui nihil amicitia sanctius ab ineunte usque adolescentia duxisti; neque ab amicorum observantia ullo

 un-

unquam periculo, iniquiſſimis ſane temporibus, deterritus es ; Te, *inquam, his quaſi poſthumis liberis, eamdem, qua parentem eorum ſemper es proſequutus, benevolentiam praeſtiturum. Valetudinem* Tuam, *quod boni exoptant univerſi, cura diligentiſſime.* Ex Petralbano meo Kalendis Aprilis CIↃIↃCCCVII.

IOSEPHVS NICOL. F. CASTALDIVS

LECTORI ERVDITO S.

EN Tibi, humanissime Lector, NICOLAI IGNARRAE Opuscula, quae typographicis formis describenda curavi. Teque facile operam probaturum meam confido; nam quae mens olim Auctori nostro fuerat, eadem profecto mihi colligenti fuit. Illi profecto, qui totam aetatem in studiis bonarum litterarum unice traduxit, id consilii, quum labores suos evulgaret, fuit, ut instrueret, exemploque suo adolescentes informaret, & ad maiora etiam molienda excitaret. Sed praeter ea, quae eruditorum virorum manibus ferebantur, nonnulla adhuc restabant, quae aut inedita in forulis delitescebant, aut edita pridem, & oppido rara, passim efflagitabantur. Itaque ut ipse quoque pro mearum virium modulo Rei Litterarum Publicae prodessem, hoc in me recepi, ut & illa non sine labore ex Auctoris schedis descripta edi curarem, & haec nova luce donarem; inque unum corpus redacta volumen conficerent: nec mediocrem, nisi me mea fallat opinio, ex mea hac diligentia, apud studiosam iuventutem gratiam initurum spero. In hisce enim lugubrationibus habebit sane, quod sibi ad imitandum proponat: tanta ubique maturitas iudicii, robusta eloquentia, vastissima eruditio, & quod ante omnia ponendum est, castigatissima ad optimae ethicaes obrussam cogitandi, scribendique ratio elucescit. Nimirum Noster in utraque persona tum litterati viri, tum probi hominis sustinenda plane fuit admirandus. Siquidem ita vitam instituit suam, ut reprehendi potuerit a nemine; scripsit autem, ac docuit quae a litteratis viris suspiciuntur. Tuum erit interea, Lector humanissime, operam nostram in his edendis locatam probare; quod si feceris, beneficio me devincies singulari; animosque addes ad maiora in Tuum commodum audendi. Vale.

NICOLAI IGNARRAE VITA

AUCTORE

IOSEPHO NICOL. F. CASTALDIO

L'Eucopetrae, qui est vicus II ab Vrbe lapide Orientem versus, totius Campaniae longe florentissimus, honesto loco natus est NICOLAUS IGNARRA XI. Kal. Octobr. anno CIↃIↃCCXXVIII. Illius ortus in ea tempora incidit, quibus in omni litterarum genere Neapolitani ceteris Italiae populis facile praestabant. Et revera non sine admiratione nobis obversantur nomina Aulisii, Maielli, Vici, Gravinae, Capassi, Cyrilli, Aegyptii, Iannonii, Galiani, Mazochii, De Ianuario, Serai. Parentes nactus est aere familiari satis instructos Sabathum, & Petronillam Scutariam, ex Illyrico oriundam; iique ab ineunte aetate puerum litteris, moribusque informandum omni studio satagerunt. Etenim vel in ipsa pueritia ille manifesta praecocioris ingenii indicia fecerat; ut puellulus adhuc, ob mellitula, & ingeniosa sane dicta, merito omnium sibi admirationem conciliaret, totiusque Herculanensis viciniae delicium esset: & quidem sapientia si in omni aetate hominibus est grata, in pueritia vero est gratissima. Hic primis grammaticae rudimentis imbutus fuit ab optimo avunculo Philippo Scutario Ecclesiae pagi divi Ioannis ad Theodosium Curione, viro litteris cum graecis, tum latinis satis exculto. Ea vero in puero instituendo rationem servavit, qua ipse non tam per salebrosas, & frequentes Grammaticorum tricas, quam per clarissimos, amoenissimosque aurei saeculi scriptorum campos deduceretur. Hinc cum vix esset octennis Ciceronis epistolas italice vertebat. Interim Scutarius cum Iosepho Cardinali Spinello Neapolitanorum Archiepiscopo, illi scilicet magno in-

ingeniorum aestimatori, atque patrono esset acceptissimus, NICOLAUM vix X annis natum Neapolim deducit, eumque Spinello etiam atque etiam commendat. Amplissimus ille vir, perspecta in puero acris ingenii vi, insitoque acumine, praecepit, ut in Seminario Archiepiscopali tanquam alumnus reciperetur; ipsiusque seminarii expensis aleretur. Florebat tunc temporis Augustea illa aetas non sine invidia perpetuo memoranda, opera & studio doctissimorum fratrum Maiellorum Caroli, & Ianuarii, quorum prior iactis ibidem loci optimorum studiorum fundamentis, Romam ultro arcessitus a Clemente XI. P. M., multisque muneribus perfunctus, denique Vaticanae Bibliothecae Praefectura & Archiepiscopatu Emisseno ornatus, epistolis scribendis ad viros Principes fuit praepositus; alter vero natu minor optimae illius institutionis curam ad extremam usque aetatem retinuit. Hinc factum est, ut e Seminario, tanquam ex equo Troiano, in diem sapientissimi viri in lucem prodierint. Ut alios taceam, meminisse satis sit Cajetani Amati Archiepiscopi, qui post Cl. Maielli obitum Summis Pontificibus ab epistolis fuit, Iosephi Canonici Bonocorii, Ignatii Calcii in Regia Studiorum Academia Hebraicae linguae Professoris, Salvatoris Aulae, Ianuarii Fortunati Cassanensium Episcopi, Hieronymi Iordani jurisconsulti, Bernardi Lamae in Regia Taurinensi Academia Iuris antecessoris, & dein Carolo VI. Romanorum Imperatori in Italicis expediendis negotiis a secretis, Iacobi Martorellii in Regio Neapolitano Gymnasio Graecanicae linguae professoris, Ioannis Melfii, Iosephi Romani S. R. C. Praesidis, Felicis Roseti, & Ferdinandi Cardinalis Spinelli, virorum moribus, doctrinisque omnibus praestantissimorum, NICOLAUS igitur pridie non. iunias anno CIↃIↃCCXXXVIII vix Seminarium ingressus in litterarum pulcherrimarum stadio decurrendo perpetuum laborem conatumque sibimet indixit: ex eoque factum est, ut, vix emenso latinae linguae curriculo, graecas, hebraicasque litteras sub Ignatio Calcio didicerit citissime, non sine aequalium admiratione, praeceptorisque plausu,

phy-

physicas vero scientias, & praesertim gnomonicen sub disciplina Iosephi Bonocorii arripuerit avidissime, & quicquid ad litterarum studia pertinet, festino percurrerit pede. Hisce studiis quid ille profecerit patet satis ex eo, quod Alexius Symmachus Mazochius studiorum suorum socium illum adsciverit, iuvenem annorum unius supra viginti; eo praesertim tempore, quo cum Iosepho Simonio Assemanno super unitate Neapolitanae Ecclesiae, & pro Canonicorum Capitulo esset illi dimicandum. IGNARRAE autem indefessa opera, studioque erga se adeo delectatus est Mazochius, ut ab se postea nunquam, quoad vixit, ipsum divelli pateretur. Ex illo autem omnium humanarum, divinarumque cognitionum opulentissimo ingenio IGNARRA excellentissima quaeque libavit; ut vix dici possit quanto tanti viri consuetudo sibi emolumento fuerit; cum nihil adolescens domi audiret nisi doctum, elegans, & minime commune. Eminebat sane in eo, cum virtutis indoles, tum discendi ardor plane singularis cum prudentia coniunctus; ipsiusque oratio sobria, plena pudoris, ac modestiae, adstricta verbis, densa sententiis; nihil ut in ea videri posset diffluens, nihil redundans; eaque omnia Mazochio erant pergrata. Interea iuvenis adhuc, nec dum Sacerdotio initiatus, poëticas institutiones, & graecae linguae rudimenta Seminarii alumnos docuit. Veterum scriptorum, & praesertim Graecorum lectioni perpetuo vacavit; iisque ducibus, remotissimas patrias antiquitates diligentissime investigavit; neque in tanta veterum linguarum notitia nostratium sermonem neglexit, cum pro certo haberet, esse praecipue adlaborandum, ut propria lingua quisque recte loquatur, & scribat. Annos natus XXXI. lucubratiunculas nonnullas edidit, inter quas doctrina, & stylo praestant eae, quibus concertationem exercuit cum Iacobo Martorellio in graecum Epigramma Neapoli tunc temporis erutum, quod ipse Aristoni, Martorellius contra Messo, vel Messulo adscribendum censuit; nec silentio sunt nobis praetereundae animadversiones in Martorellianam interpetrationem graecorum Epigrammatum in sacello Ioviani Pontani

ex-

extantium, quae Romanis typis prodiere. Cum vero ob ingravescentem aetatem et morbos, qui senium comitantur, Mazochius pensum diurnum Sacras Scripturas interpretandi in R. Studiorum Universitate ferre non posset, oculos iniecit in IGNARRAM, quem unum autumabat sua vice Cathedram posse cum laude moderari. Quare Regi preces tulit, ut ille regio diplomate sibi sufficeretur; quod incidit in annum CIↃIↃCCLXIII. Spartam hanc nactus IGNARRA, eam pro virili parte adornare nunquam destitit: sive enim Hebraicas antiquitates, sive Divinorum librorum explanationem generosis adolescentibus traderet, sic semper se gessit; ut omnibus probaretur, Mazochio in primis, cujus judicium instar omnium omnibus erit. Deinde, defuncto Mazochio, id munus cum annua pensione omnium suffragiis delatum est IGNARRAE III. Non. Octobr. anno CIↃIↃCCLXXI.

Tunc eluxit in eo tota, qua late patet, Sacrorum Bibliorum cognitio; in implicatissimis enim quibusque rebus extricandis dexteritatem, et incredibilem cum Divinarum litterarum, tum diversorum sensuum, ac veterum linguarum peritiam ostendit; ut diceres, Sacrae Scripturae, cum ab IGNARRA explanarentur, splendorem, dignitatem, maiestatemque suam constare. Interim eius doctrina tota Vrbe ita celebrabatur, ut facile pervaserit ad aures Caroli III. Neapolitanorum Regis. Hic enim cum anno CIↃIↃCCLV. statuisset deligi XV. Viros omnigena eruditione praeditos, veterum scriptorum lectione exercitatissimos, quique omne genus Antiquitates Herculanii, Pompeis, Stabiis, & Puteolis erutas enuclearent, atque illustrarent, hos inter doctissimos viros IGNARRAM adscivit, qui dum Herculanensis Academia toto Orbe clarissima viguit, opulentissimae illi antiquorum κειμηλίων segeti exornandae prae ceteris sedulam navavit operam. Postea hominis doctrinae fama in dies percrebrescente, Regiae Typographiae XV. Kalend. Aprilis anno CIↃIↃCCLXXXII primum praeficitur: tandem Regiis codicillis iisque perhonorificentissimis XV. Kalend. Novembris anno CIↃIↃCCLXXXIV. datis, in Aulam accitus, ut Franciscum Bor-

Borbonium iis litteris iiſque moralibus praeceptionibus, quibus puerilis aetas informari conſueſcit, imbueret. Anno demum CIƆIƆCCXCIV. magna omnium gratulatione Eccleſiae Neapolitanae Canonicus renunciatus fuit, urgente potiſſimum Ioſepho Roſcio Archiepiſcopo Nicoſienſi, Regi a Sacris Confeſſionibus. Etenim hic diutius ferre haud paſſus eſt IGNARRAM inter Eccleſiae Archiepiſcopalis Canonicos non eſſe adnumeratum; qua de re Cardinalem Capycium Zurulum pientiſſimum Neapolitanorum Pontificem adiit, petiitque ab eo, ut honoris, virtutiſque cauſſa tantus vir eo ſacerdotio augeretur; cui ſtatim annuit optimus Archiepiſcopus, idque iam pridem libentiſſime facturum fuiſſe reſpondit, ſi quis alius ſolum IGNARRAE nomen in memoriam revocaſſet; ſed ab hoc munere ineundo ipſe omnino abſtinuiſſet, ni contra Philippus Urſinus Gravinenſium Dux ſua auctoritate, qua plurimum apud IGNARRAM pollebat, a propoſito deterruiſſet. Tantis exornatus muneribus, a quocumque faſtu ſemper abhorruit, & inter aulicos perpetuum viri probi, & ſapientis exemplar cunctis imitandum ſe praebuit. Illud enim ſemper ante oculos habendum aiebat, ſolam virtutem intaminatis honoribus fulgere, & huius vitae rebus omnibus praeſtare. Praeter alias lucubrationes duo potiſſimum evulgavit Opera, de quorum doctrina, & eruditione heic pauca delibare operae pretium duximus. Anno CIƆIƆCCLXX. edidit Commentarium de *Palaeſtra Neapolitana*, cui ut manum admoveret in cauſſa fuit lapis graece loquens prope portam Nolanam effoſſus, qui olim extitit in Neapolitano Gymnaſio, poſitus memoriae, & virtuti perilluſtris athletae Archibii Alexandrini, qui puer imberbis, & denique vir pluribus agonibus triumphaverat. Hunc lapidem ex parte mutilum noſter admiranda felicitate, Mazochianum in morem, reſtituit in integrum, & a ſe latine converſum longo, eruditoque illuſtravit Commentario. De Gymnaſio Neapolitano ſcripſerant antea viri Cl. Petrus Laſena, & Dominicus Auliſius; ſed longe his praeſtitit IGNARRA, qui Neapolis graecas, latinaſque origines, antiquitates, aedificia illuſtriora, gubernii formam, marmora,

numismata rariora, varias urbis vicissitudines, permultaque de Petronii aetate describit diligenter, enucleatque scitissime, eandemque eruditionem, & sagacitatem prae se fert, ubi de Gymnasio Puteolano, & Buthysiae agone, nec non de Semibove viro barbato perantiquo, Italorum numismatum symbolo, verba facit. Omnia haec ad patriam historiam illustrandam spectantia, & scitu dignissima ab remotissimis deducta temporibus, veterum scriptorum nixus auctoritate in lucem profert clarissimam, vel modeste corrigens aliorum errores, vel addens illa, quae nostrarum rerum scriptores effugerunt. Ingeniosa, & sane admiranda est ejus de picturae, & sculpturae interitu sententia, quae ab Auctore nimis modeste divinatio appellatur. Is enim quum reiecisset tres caussas, quibus has artes occidisse plerique omnes autumant, translationem scilicet in Orientem Aulae Imperialis sub Constantino, artificumque transmigrationem; IESV Christi religionem, quae falsorum Numinum multitudinem delendam curavit; & denique Barbarorum incursiones his artibus funestissimas: demonstrat una simul cum abolitis gymnasiis desivisse quoque perfectae graphyces opportunitatem, ac facilitatem, nec non picturam, atque sculpturam gymnasiorum ruinis involutas occubuisse. Nam huiusmodi gymnasia, ille inquit, ubi motiones corporis, animique affectus repraesentabantur ad vivum, nihil aliud iis, qui graphicae operam dabant, fuisse, quam accuratissimas linearis picturae scholas; hinc ex gymnasiorum desuetudine picturae, atque sculpturae interitum repetit. Nihil hic addam de styli venustate, ceterarumque rerum elegantia, cum per se toto opere late pateant, atque laudatore non indigeant. Anno vero CIƆIƆCCXCVII. aliud Opus auro contra non carum de *Phratriis*, primis Graecorum politicis societatibus, typis mandavit, ex quo nova, & clariora lumina vetus Neapolitana historia est mutuata. Ipse enim in duas partes suum dividit Commentarium, altera Παρασκευην *praeparationem* quamdam continet, in qua de variis diverso tempore vicibus Phratriarum, & Phratorum, deque eorumdem cum Romanorum Curiis, & Curio-

rionibus indubitata affinitate differit . In altera vero parte veterem confuetudinem arceffendi colonos ex variis terrarum regionibus memorat , qui difpartiti in Tribus five Phratrias cognomines plerumque iis terris , unde fuerant exciti , unam porro civitatem aequo jure conftituebant ; hinc Phratrias Neapolitanas undique collectas , Phratriacafque infcriptiones illuftrat fane quam ingeniofe . Tum contra fententiam clarorum virorum Reinefii , Vandali , Fabretti , & Martorellii pro virili parte oftendere conatus eft , Phratrias non corpora facra , fed politicas fuiffe focietates . Denique pro operis coronide doctiffimam addit differtationem de *Paufilypo* , quod vocabulum veteres quidem ad defignandum fepulchrum ufurparunt . In toto opere omnigena qua graeca , qua latina eruditione refertiffimo iter novum ingreffus eft Auctor : fpiffas enim remotiffimae antiquitatis tenebras pervadens , qui olim urbem Neapolim incoluerint , qui primi urbis conditores eorumque patres ex antiquis infcriptionibus , quaeque prima Neapolitanae Reip. incunabula fuerint oftendit Octo *Phratrias* Neapoli adfignat , aliafque duas Agarrheenfium , & Eumidarum a Reinefio inter Neapolitanas Phratrias adnumeratas , omnino reicit . Nomina octo phratriarum funt ΕΥΜΗΛΕΙΔΩΝ *Eumelidarum* ΕΥΝΟΣΤΙΔΩΝ *Eunoftidarum* ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ *Ariftaeorum* , ΑΡΤΕΜΙΣΙΩΝ *Artemifiorum* ΠΑΝΗΛΙΔΩΝ *Panelidarum* , ΟΙΝΩΝΑΙΩΝ *Inonaeorum* , ΚΥΜΑΙΩΝ *Cymaeorum* , & ΑΝΤΙΝΟΙΤΩΝ *Antinoiton* . Quae omnia , ut reliqua praeteream , tanti funt facienda , ut & noftri , & univerfus eruditorum coetus Auctori fe profiteantur obftrictiffimos . Menfe Septembri anno CIↃIↃCCLXXXII. graviffimis , acerbiffimifque doloribus pluribus diebus afflictatus eft , ut nec lecto iacere , nec ftare , nec federe poffet . Hoc in morbo fummam expertus eft amicitiam Cl. viri Francifci Serai , qui difficillimum dictu eft quanta cura , quantoque ftudio omnia falutaris artis auxilia praeftiterit . Cum enim Seraus effet fere octuagenarius , non una , vel alia vice , fed quinquies quotidie eum adibat , ut quidquid diei fpatio novi ac-

acciderent, statim cognosceret, & medicamina ad aegri levamen adhiberet quam citissime. Hinc Tanusius dicere solitus erat, Regis filios, si morbo aegrotarent, non posse majori studio curari a Serao. Unius virtutis commendatione IGNARRA Principibus viris summopere placuit; tota autem Italia, atque adeo Europa quanti eum duceret, vel inde parebat, quod e doctis hominibus Neapolim venientibus nemo erat, qui ipsum videre praetermitteret, nemo qui cum vidisset, non id ad suae peregrinationis uberiores fructus referret. Carolo III. Regi fuit carissimus, cujus beneficia saepenumero expertus est. Cum vero nihil fuisset sibi antiquius, quam obscurum delitescere, ideo paucissimorum Exterorum amicitias prosecutus est; familiariter nihilominus usus est Iacobo Iona Biornstahllio viro doctissimo, atque in Regia Upsalensi Academia linguarum Orientalium professore; Francisco Peretio Bayero R. Matritensi Bibliothecae Praefecto, Comite Lyndenio Batavo doctorum Moecenate, docto & ipso; Barthelemio, & Dideroto duobus Parisiensis Academiae clarissimis luminibus; Michaële Angelo Iacomello, qui fuit Clementi XIII. ab epistolis, viro multiiuga doctrina, & in graecis, latinisque litteris summopere versato; denique Stephano Cardinale Borgia, Italiae illo, ne dicam totius Orbis litterarii splendidissimo ornamento, quem mors inopina omnium moerore nuperrime e vivis sustulit Lugduni, Pontificem Maximum iter in Galliam facientem sequutum. Inter nostros vita iam functos potissimum fuit acceptus Marchioni Bernardo Tanusio Regi a Secretioribus Consiliis, viro summa gravitate summaque in omni litterarum genere doctrina instructissimo, consiliique pleno; Iosepho Cardinali Spinello Neapolitanorum Archiepiscopo, magnitudine rerum gestarum clarissimo; & Alexio Symmacho Mazochio, illi totius Europae litterariae miraculo; quos praeclarissimos viros IGNARRAE Moecenates melius appellaveris; cum ejus studia foverint, beneficiisque cumularint impensissime. Is vero tum vivo, tum mortuo Mazochio non pauca praestitit officia; etenim post obitum

tum eius, praeter Commentarium de ejus Vita a se editum, maximo sane labore collegit, ordinavitque dispersas, vel conglutinatas Mazochii chartas, (Mazochius in libris conscribendis plures chartulas a se exaratas conglutinare consueverat) quibus III. Volumen *Spicilegii Biblici* constabat, illudque anno CIϽIϽCCLXXVIII. Neapoli typis Regiis imprimendum curavit. Ex amicis IGNARRAE non sunt praetereundi Ioannes Baptista Carafa Noiensium Dux, numismatum ex nostris regionibus conquisitor solertissimus; Marchio Adeodatus Targianus Regalis Camerae S. Clarae Vvir; Marchio Philippus Mazochius, ex fratre nepos Alexii, S. R. C. Praeses; Paschalis Carcanius Regii Scrinii Domus Augustae libellensis, & Palatinae Herculanensi Academiae a Secretis, summo subactoque ingenio vir; Iosephus Roscius Archiepiscopus Nicosiensis, cum theologicis, tum philosophicis studiis praeclarus; sed supra omnes, quos huc usque memoravimus, familiarissime usus est Francisco Serao Regni Achiatro, & in Regio Archigymnasio Medicinae professore primario, qui procul dubio tum scientia, tum scribendi facultate saeculi XVIII. philosophorum, & medicorum princeps fuit, & ab omnibus etiam exteris habitus est; & Marchione Carolo Demarcho Regi a Secretis, & a Consiliis, viro acerrimi iudicii, abstinentia, dexteritate, prudentiaque cum paucis comparando. Amici vero IGNARRAE adhuc superstites sunt Vincentius Carafa Amphissae, & S. R. I. Princeps, morum elegantia, vitaeque integritate praeclarus; Philippus Ursinius Gravinensium Dux; Aloysius Serra Cassani Dux Aug. Regi nostro Iosepho a Consiliis, litteris, morumque venustate praeclarus; qui quidem singulari studio, & ingenti pecuniae vi bibliothecam instruxit rarioribus codicibus, librisque in typographiae incunabulis editis selectissimam; Thomas de Rosa Villaeroiae Marchio, juris scientia, & amoenarum litterarum studiis excultissimus, vitaeque innocentia incomparabilis; Franciscus Danielius Regni, & Melitensium Equitum Historiographus, Regi a privata Bibliotheca, Regiaeque Academiae Historiae, & Antiquitatum a Secretis, vir ingenio ad omnia pene facto, scribendique ele-

elegantia in utraque lingua, noſtra hac aetate cum paucis comparandus; Carolus Roſinius Puteolanorum Antiſtes, Regio Sacello Praefectus, praeceptor olim meus, vir veterum Scriptorum conſuetudine, & graecanicis in rebus huius aevi facile princeps; Horatius Capellus, in quo bonarum artium ſtudium, an morum elegantiam praeferre voles, ambigas oportet; & Vincentius Calà ſuus compater, nunc Surrentinae Eccleſiae Archiepiſcopus graece latineque peritiſſimus. Tres habuit NICOLAUS fratres, Michaëlem, Ioſephum, & Antonium, quos uti natu major, moribus boniſque litteris inſtituendos in ſe ſuſcepit. Horum Michaël Sacerdotio initiatus Mariae Ioſephae Hiſpaniarum Infanti Aug. Regis Caroli III. Filiae a Sacris Auditionibus, pluribus in Hiſpania honoribus, beneficiiſque exornatus, Matriti demum ſupremum obiit diem; Ioſephus in iuris ſcientia verſatus, in medio Forenſium laborum curriculo vix XXX. annorum aetate deceſſit; Antonius denique inter Regii Scrinii Iuſtitiae, Clementiaeque libellenſes adſcitus, in eo munere vita functus eſt non ſine probitatis, prudentiaeque laude. Nihil in NICOLAO ſingulare fuit in cibis, in veſtibus, in corporis cultu, in domeſtica ſupellectile. Ac licet in his omnibus ſimplicitatem deamaret; in libris tamen comparandis erat elegantiae perſtudioſus. Quum enim libros vel graecos, vel latinos coëmeret; eos conquirebat, qui et chartae, et typorum nitore ſeſe plurimum commendarent: adeo quidem, ut qui in reliquis parcus habebatur, in ea re profuſus propemodum videretur, neque a luxu omnino abhorrere. Hoc autem loco juvat illud etiam commemorare, IGNARRAE non mediocri fuiſſe curae vetera numiſmata colligere, quae praeſertim ad Neapolitanas regiones pertinerent. Sumtui vero minime parcebat, ſi qua forte fortuna offerrentur, a quibus lucis aliquid foenerari poterant patriae antiquitates. Nec labor ejus ſucceſſu caruit: quaedam enim nactus eſt χρυσοῦ χρυσότερα. Quae quidem numiſmata ad Franciſcum Carellium virum doctrina praeſtantem, atque horum κειμηλίων peritiſſimum pervenerunt, eiusque gazam le-

ctiſ-

ctissimam locupletarunt. Laboris fuit patientissimus, perdius, ac pernox; temporisque adeo parcus, ut subsecivas etiam horas libris sit impartitus; cum a theatro, a ludis, et a quacumque vel levissima voluptate vixisset alienus: fuit antiqua virtute, et probitate; et quod maius est, summam doctrinam cum maxima morum innocentia perbelle coniunxit; officiosissimus fuit in omnes, & potissimum in amicos, qui si quando adversa vexabantur fortuna, quicquid levamini esse poterat, apud eum facillime inveniebant. Pauperibus semper praesto fuit, et praesertim verecundioribus. Nimis demisse de se, rebusque suis sentiebat, sed ad rem, et iusto praeconio alios laudavit. Fuit candidissimus in omnibus vitae actibus, et rogatus de aliqua re, suam sententiam libere semper dixit. Admirandum in modum abstinens, honores nunquam petiit, imo oblatos saepissime recusavit; & hic scitu dignum putamus quanto studio, quantaque cura ille Archiepiscopatum Rheginum abnuerit. Etenim cum ob obitum Archiepiscopi Dominici Zicari anno CIϽIϽCCLX. Cathedra illa vacaret, a Nicolao de Rosa Puteolano Episcopo, tunc temporis Regio Sacello, Regioque Gymnasio Praefecto, IGNARRA illi regendae Ecclesiae primo loco (mos enim erat tunc temporis tres ad eligendum Regi deferri) praepositus est: at de hac re ipse certior factus a Marchione Carolo Demarcho ea tempestate in rebus Ecclesiasticis Regi a secretis, enixis precibus eum rogavit, ut honorificum quidem, sed ingens illud onus a se averteret. E votis res accidit, fuitque suo loco renunciatus Rheginorum Pontifex Matthaeus Testa, qui postea Regis Sacello, Regiaeque Studiorum Academiae praefuit. In utraque fortuna fuit semper aequalis, uti virum doctum decet. Nil dixit, nil unquam sciens volens egit, quod alteri adversaretur; totaque suae vitae ratio, ut omnia uno verbo complectar, fuit semper cum virtute conjunctissima. Hic tandem talis, tantusque vir laboribus, studiisque fractus annis natus LXX. ingenii vi deficere coepit. Anno enim CIϽIϽCCXCVII. cum Operi de *Phratriis*, de quo jam diximus,

mus, finem imposuisset, illudque Francisco Borbonio discipulo olim suo inscribere vellet, nuncupatoriam epistolam nequivit exarare; quo factum est, ut Opus illud sine ulla inscriptione in vulgus prodierit; sed ingravescente aetate, cumque aetate vi cogitandi in dies debilitata, eo devenit, ut oblitus plane librorum, familiarium, et amicorum, atque uti infans vix paucas voculas, sensu vacuas proferat, easque continuo repetat; et quamvis is nunc est, a quo iuvari bonae litterae frustra sperent; tamen eius abitio eiusmodi damnum Orbi litterato illatura est, quod qui plene resarciat fateor me ignorare; nec dubito illud in rem nostram usurpare, quod olim Nasica dixisse fertur: *Quirites*, *Carthagine deleta*, *et victis Achaeis*, *nunc quos metuamus*, *neque quos revereamur reliquos fecimus*. Verendum enim est, ne sublato IGNARRA, simul et optimum exemplar, quod posthac suspiciamus et imitemur, ex oculis evanescat. Quando quidem autem eius abitio futura nobis est detrimento, faxit Deus, ut ea in dies, diesque usque differatur, ac longissime protrahatur. Nunc quidem utcumque vivit, at quod vivat Iosepho Ignarrae fratris filio, iuveni sane optimo, & a patruo optime instituto unice acceptum referimus. Nam cum is per eam imbecillitatem recte sibi prospicere nequeat, sibique relictus, uti fit, numquam non damnosa mallet; ille seni sanctissimo dies, noctesque ita advigilat, ut maiorem sedulitatem amantissima nutrix suo alumno impendere non posset. Nec id eius caritati satis; nam huius Vitae commentarium, & haec eadem Opuscula ipsi debentur iuveni, qui patrui sui gloriae studiosissimus mihi auctor fuit, ut libellum hunc sua impensa edendum curarem, atque quamplurima eius scripta, quae nunc primum eduntur, nisi ipse e bibliothecae domesticae forulis educta mihi exscribenda tradidisset, communicare cum eruditis viris, eosque hoc nomine demereri nequivissem. Colophonem imponam huic scriptiunculae verbis illis C. Cornelii Taciti: *Quidquid* ex IGNARRA *amavimus*, *quidquid mirati sumus*, *manet mansurumque est in animis hominum in aeternitate temporum*, *fama rerum*.

NICOLAI IGNARRAE

OPVSCVLA

Bayerische
Staatsbibliothek
München

VETVSTI EPIGRAMMATIS

IN MARMORE SCALPTI

Neap. in Aedib. PP. Congreg. Miſſion. nuper effoſſi

EDITIO ALTERA ACCVRATIOR;

qua Epitaphium antehac ἀδέσποτον, *puero* ***ARISTONI*** *vindicatur*

Χαῖρε δὶς ἡβήσας, ϗ δὶς τάφου ἀντιβολήσας.

EPIGRAMMA ELEGANTISSIMVM

In marmore ſcalptum, lectu difficillimum, in quo etiam opere anaglyptico vir, & mulier, inque medio puellus ſtantes viſuntur: Neapoli in fundamentis aedium Sacerdotum Divi Vincentii de Paullo inſtitutis *victitantium*, Februario menſe anno 1759. repertum juxta praegrande, ac rotundum plenae artis columbarium nuperrime quoque detectum, columnis, tholo, ollis ex creta figlina, & aere cyprio, lucernis, ac quamplurimis nominibus inibi ſepultorum in pariete Graece depictis, praeter reliquas bene multas vetuſtatis res eximias ornatiſſimum; ab Jacobo Martorellio in Regia Academia Graecas literas docente exſcriptum, ac Latine verſum: omnia, adjectis ſide optima ſchematibus, longiori commentario ad Atticae priſcorum civium inſtitutionis decus, & commendationem brevi honeſtanda.

ΑΓΓΕΛΕΦΕΡCΕΦΟΝΗCΕΡΜΗΤΙΝΑΤΟΝΔΕΠΡΟΠΟΜΠΕΙC
ΕΙCΤΟΝΑΜΕΙΔΗΤΟΝΤΑΡΤΑΡΟΝΑΙΔΕΩ
ΜΟΙΡΑΤΙCΑΕΙΚΕΝΟCΤΟΝΑΡΙCΤΩΝΗΡΠΑCΑΠΑΥΛΗC
ΕΠΤΑΕΤΗΙΜΕCCΟCΔΕCΤΙΝΟΠΑΙCΓΕΝΕΤΩΝ
ΔΑΚΡΥΧΑΡΗCΠΛΟΥΤΩΝΟΥΠΝΕΥΜΑΤΑΠΑΝΤΑΓΡΟΤΕΙΑ
ΣΟΙΝΕΜΕΤΑΙΤΙΤΡΥΓΑΙCΟΜΦΑΚΑCΗΛΙΚΙΗC

Ἄγγελε Φερσεφόνης Ἕρμη, τίνα τόνδε προπομπεῖς
 Εἰς τὸν ἀμείδητον τάρταρον Ἀΐδεω;
Μοῖρα τὶς ἀεικένεος τὸν ἀρίστων ἥρπασε Παύλης
 Ἑπταέτη, μέσσος δ' ἐστὶν ὁ παῖς, γενετῶν.
Δακρυχαρὴς Πλούτων, οὐ πνεύματα πάντ' ἀγρότεια
 Σοὶ νέμεται, τί τρυγᾷς ὄμφακας ἡλικίης;

Nuncie Persephones, quemnam, Cyllenie, ductas
 Nil ubi risus est, tartara in ima Erebi?
Parca, haud quo est melior, rapuit stultissima Paullæ
 Septennem e gnatis, qui medius stat, is est.
Improbe, vita hominum haud tua, quæ sit acerbula, Pluto,
 Ætatem cur tu demetis omphaciam?

Hoc Epigramma ita ante hos paucos dies prodiit ex typographia Simoniana; eaque Editio prae altera, quæ sequitur, Prior nuncupabitur.

IDEM

IDEM EPIGRAMMA

Rursus cum marmore δι' αὐτοψίας (*oculata fide*) collatum, foedisque mendis detersum: quod heic suae integritati restitutum, novaque versione donatum Lectoribus sistitur, non sine brevibus animadversionibus. Editor namque posterior, quo minus breve hoc epigramma *longiori honestaret commentario*, deterreri se ait pervulgato adagio: Μέγα κακὸν, Μέγα βιβλίον. Ceterum is recte moratos lectores monet, se nihil posteriore hac qualicumque cura detractum velle existimationi prioris Exscriptoris; quippe qui, quum proposito veluti programmate palam fecerit, epigramma sibi *lectu difficillimum* fuisse visum, veniam potius quam criminationem apud aequos rerum aestimatores nanciscetur.

Ἄγγελε Φερσεφόνης Ἑρμῆ, τίνα τόνδε προπομπεῖς
 Εἰς τὸν ἀμείδητον τάρταρον Ἀίδεω;
Μοῖρά τις ἀεικέλιος τὸν Ἀρίςων' ἥρπασ' ἀπαυγῆς
 Ἑπταέτη, μέσσος δ' ἐςὶν ὁ παῖς γενετῶν.
Δακρυχαρὴς Πλϐτων, ϐ πνεύματα πάντα βρότεια
 Σοὶ νέμεται; τί τρυγᾷς ὄμφακας ἡλικίης;

Nuntie Persephones Cyllenie, Ditis in imos
 Qualem deducis tristia regna specus?
Inter utrumque parentem en stat septennis Ariston,
 Parca ferox luci quem abstulit aetheriae.
Nonne tuum est, Pluto, quidquid mortale sub aethra est?
 Heu cur aetatem quae sit acerba, secas? (1)

V. I.

(1) Ut rem gratam faciam italicae poeseos amatoribus, ex schedis meis heic dabo

V 1. Ἑρμῇ· In priore Edit. Ἥρμη: errore typographi, H pro E, & accentu in priore appoſito, qui ſuper ultimam circumflectendus erat. Pudet autem his immorari; mendas enim id genus notare, de iiſque tragoedias excitare quid eſt aliud, quam lectoribus convitium facere? Et tamen eſt, qui triumphum ſibi decerni ſuperbiſſimum poſtulat, ubi quid hujuſmodi in aliorum ſcriptis profligaverit. Nonne in typographo magis praeſtat, quam in quovis alio hanc fabam cudere?

V. 3. Μοῖρά τις ἀεικέλιος. Mire heic exuberant παροράματα prioris Editionis. Ibi Μοῖρα τὶς: mendo typographi; nam ſi interrogatio ſubeſt, Μοῖρα τίς cum accentu acuto ſcriptum oportuit; ſin minus, μοῖρά τις, accentu in ultimam praecedentis retracto. Sed hoc levius; illud vero quis ferat, quod pro genuino ἀεικέλιος, portentoſum ἀεικένεος ſupponitur? Prima τοῦ Ἀεικέλιος ſyllaba eſt ἀει per συνίζησιν, notam Grammaticis figuram. Sub terminatione ος maſculina, latet ſequior ſexus; id quod in compoſitis familiariſſimum Atticis fuit; etſi vetuſtiores, Poëtae praeſertim, compoſita per generum ſpecies inflectere amabant; ut in hoc ipſo Ἀεικέλιος uſu venit; cujus ἀεικελίη reperitur apud Homerum. Porro prioris Editionis iſtud Ἀεικένεος inde fluxit, quod littera A in marmore ita τῷ I adhaeret, ut utraque littera ſimplex elementum N ementiatur. Exſcriptor autem, ut verſûs ratio ſibi conſtaret, E de ſuo admenſus Ἀεικένεος obtruſit. Haeccine eſt in deſcribendis vetuſtis titulis ἀκρίβεια & fides?

Ibid. Τὸν Ἀρίστων' ἥρπασ' ἀπαυγῆς. In priore Edit. τὸν ἀρίστων ἥρπατε Παύλης, quot verba, totidem glomerantur σφάλματα. Primum quia Ἀρίστων' cum apoſtropho ſcribendum fuerat, ut integrum ſit Ἀρίστωνα, proprium pueri nomen a recto Ἀρίστων, ωνος. Deinde prae-

dabo idem epigramma e graeco elegantiſſime ſane converſum a viro Cl. Petro Metaſtaſio.

Chi della Dea d' Averno
Mercurio Meſſaggier del cieco Mondo
Chi mai conduci al meſt' orror profondo?

Di ſette anni Ariſtone
Dalla barbara Parca al dì rapito,
Che in mezzo a' Genitori è quì ſcolpito.

Ah! ſe di ciò che naſce
La matura vendemmia a te ſi ſerba,
Pluto crudel perchè la cogli acerba?

CASTALDIVS.

praeter fidem marmoris, sequitur: ἥρπασε Παύλης. In marmore sic scalpitur: ΗΡΠΑΣΑΠΑΥΓΗΣ, quae verba hoc prorsus pacto sunt distinguenda: ΗΡΠΑΣ ΑΠΑΥΓΗΣ, vel ἥρπασ' ἀπ' αὐγῆς, *surripuit luci*, non ἥρπασε Παύλης. Ex qua praepostera litterarum secretione & illud ἀπροσδιόνυσον Matris *Paullae* nomen fluxit: prorsus, ut leviter dicam, inconsulto. Nam εὐγενείας controversiam Aristoni movere quis potuisset, quasi Matrem *Paullam* dumtaxat digito monstraret, Patre praeterito: certe quod, tamquam vulgo quaesitus, genitorem ciere non posset. Apage sis; & facessat hinc illa nescio quae *Paulla*. Nam, si nihil aliud, Ariston ipse μέσος γενετῶν, natalium εὐγένειαν apud Praetorem jure sibi optimo vindicabit.

V. 4. In marmore ΕΠΤΑΕΤΗΙ, ubi ultimum Ι παρέλκει.

Ibid. Γενεταὶ heic non *gnati* sunt, sed *genitores*, inter quos medius stans puer in anaglypto (perinde ac describitur in subjecto epigrammate) scalpitur.

V. 5. Δακρ. Πλ. *Pluto gaudens lacrymis*. Rectus casus pro quinto.

Ibid. Πν. παν. βροτ. *omnes mortales animae*. Potuisset & hic versus ita verti: *Non tibi mortales omnes, Pluto effere, cedunt?* In priore Edit. παντ' ἀγρότεια: quae postrema vox hactenus inaudita est, nec alibi investiganda, nisi in παροράματι Exscriptoris, qui ubi in marmore confertis literis, vocibusque nullo intervallo discretis, scalptum reperit ΠΑΝΤΑΒΡΟΤΕΙΑ, autumavit illud Β medium male tornatum esse Γ: inde ejus typographus audacter, tota licet reclamante Graecia, ἀγρότεια typis mandavit.

NEAPOLI. V. Kal. Apr. ANNO MDCCLIX.

PRO JACOBO MARTORELLIO V. CL.

VINDICIAE,

Quibus verus Martorellius a personati Martorellii calumniis purgatur.

FERVEBAT adhuc inter Graecanicarum rerum studiosos concertatio de pervulgato Graeco Epigrammate nuper Neapoli effosso, utrum puero Aristoni an Messulo inscriptum esset: dumque pars potior altercantium pro Aristone staret; ecce tibi Libellus, cui titulus: ΑΠΟΛΟΓΟΥΜΕΝΑ *pro Graeco Epigrammate Latine converso ab Jacobo Martorellio adversus accuratiores posterioris editoris animadversiones*; qui ab Jacobo Martorellio prodiisse perhibebatur. At nemo sanae mentis homo adduci potuit, ut crederet, a tanto viro omnigena eruditione, ac Graecis Latinisque litteris clarissimo opusculum istud profectum esse. Quis enim concoquere umquam possit, virum in Academia ornatissima professorem, Graecam historiam Graecasque litteras docentem, in brevi scriptionis ambitu in tot ἁμαρτημάτων scopulos impingere potuisse? Fuit igitur, ut mihi habeo persuasissimum, Pseudo-Martorellius quis male feriatus, qui sub tanti viri persona confidentissime incedens, imperitis hac via facilius imponere voluerit.

Neque hujus sursuris facinus nunc primum ex veteratorum versipellium officina prodiisse putes; jampridem enim illud obtinuit, & a primis usque du-

ctum

ctum temporibus, ut apud Galenum Comment. primo in lib. Hippocr. de nat. hum. videre eſt, ad hanc noſtram aetatem perennavit. Nam certe libellus hic, de quo dicturi ſumus, luculentiſſimum hujuſmodi fraudis ſuppeditat argumentum. Nimirum ejus auctor, quiſquis ille fuerit, mihi, qui notiſſimi jam epigrammatis *editionem alteram accuratiorem* vulgaveram, non mediocre negotium ſe allaturum ſperavit, ſi ſub ementita Cl. V. Jacobi Martorellii perſona in me atrocius incurreret. Verum ſplendide falſus eſt: adeone caecutire me credidit, ut veros, ac legitimos doctorum virorum fetus a ſuppoſitis & adulterinis ſecernere ac ſegregare non valerem? Itaque non vulgarem gratiam a ſincero Martorellio me initurum confido, ſi larvam hanc honeſtam huic nebuloni detrahere mihi detur. Et ut rem facilius conficiam, ea tantummodo e ſatis ampla libelli hujus σφαλμάτων ſegete in primis ſeligam, quae in Graecam linguam meus cenſor peccavit; ut inde magis appareat, portentoſum hunc partum a ſe dare non potuiſſe clariſſimum eum virum, qui cum in ceteris litteraturae partibus, tum vel maxime in Graeca eruditione apud omnes ſe mirifice commendat.

Pag. VI. Vbi in eo totus Noſter eſt, ut pro genuino ἀεικέλιος, quod unice in marmore legitur, ſuum ἀεικένεος, quod nuſquam eſt, tutetur; ſic porro in voces ex particula ἀεὶ compoſitas mirifice commentatur: *Quando voculam ἀεὶ fere omnibus adjectivis conferruminatam, uti eſt in ipſo cenſoris ἀεικέλιος, cernimus*. At hactenus nos poenitendi diſcipuli didice-

ramus, τὸ ἀεικέλιος, compositum esse ex *a* privativo, & verbo εἴκω. Nunc nuperus magister ex vocula ἀεὶ arcessi pro imperio jubet. Tanto Magistro habemus gratiam; utinam & alteram compositi partem prodidisset: quanto penore, Deus bone! lexica Graeca locupletarentur!

Pag. VII. Vt unice mihi incommodet, qui adnotaveram, composita in ος exeuntia, quamvis ea terminatio utrique plerumque sexui inserviret, solitos fuisse vetustiores per generum species inclinasse, sic me falsi arguit. *Vnum* compositum *dumtaxat in Homero reperire est in ternas* voces, ut ipse loqui amat, concisum, *scilicet* ἐυπατέρεια: nempe ut paullo post innuit, in ἐυπατέρειος &c. Verum, praeterquam quod non *VNVM dumtaxat* hujusmodi compositum in Homero visitur; sed praeter τό ἡ ἀεικελίη, est & secundum ἡ ἀπειρεσίη, est & tertium ἡ εἰναλίη; & plura, sat scio, rimantibus occurrent; quis porro fando audivit in Homero esse ἐυπατέρειος? At is qui in exscribendis ex Dinneri farragine epithetis Helenae, tanta sedulitate laboravit, cur non & fontes Homericos aperuit, unde τὸ ἐυπατέρειος arcesseremus? nam certe τὸ ἐυπατέρεια Eustathius ex τῷ ἐυπάτηρ, ἐυπάτερος deducit. Verum ad rem quod attinet; ne te turbet, amice lector, quod cum μοῖρα jungitur in epigrammate ἀεικέλιος, quamvis apud Homerum ἀεικελίη in sequiore sexu usurpetur; nam & apud Philonem cum μοῖρα connectitur παράλιος, ac μεσόγειος; & tamen utriusque vocis femininum genus παραλία, & μεσόγεια apud vetustiores quoque reperi-

ritur. Philonis locum vide apud H. Steph. in v. παράλιος. Sic & ὁ καὶ ἡ εἰνάλιος, & ἡ εἰναλίη: ὁ καὶ ἡ ἀπειρέσιος, & ἡ ἀπειρεσίη, & alia non pauca. Nec tantum in compoſitis id factitatum: nam apud Dionyſium Afrum ἡ πατρώϊος ἐμπορία; at apud Homerum πατρωΐη γῆ. Quid quod Homerus ipſe (ne te graviſſimum tanti poëtae nomen tranſverſum agat) unam eamdemque vocem in eodem genere, prout ei commodum fuit, variavit? Iliad. T. v. 97. Ἥρη θῆλυς ἐοῦσα, ac Iliad Θ. v. 7. Μήτέ τις οὖν θήλεια θεός. Vbi vox θῆλυς in femin. gen. & θῆλυς, & θήλεια ab Homero uſurpatur. Ceterum, cur Cenſori meo viſum ſit adjectivum ἀεικένεος i. e. *ſtultiſſima* magis Parcae accommodatum, quam ἀεικέλιος *immitis*; & huic poſtremae voci *flaccidam* & *frigidulam* ineſſe notionem, nequeo ſatis decernere. Per me tamen non ſtat, quin is ſine rivali ſe ſuaque ſolus amet. Sed jam tempus eſt, ut Ariſtoni puero periclitanti ſuppetias feramus.

Pag. VIII. Nonnullos velites quatiendo Ariſtoni praemittit hîc meus adverſarius, in ſequenti pagina Triarius ipſe cominus cum puero violentiſſime congreſſurus. Sic igitur ſat liberaliter incipit: *Luſcitioſiſſimus quiſque videt*: τὸν ἀρίςων ἑπταέτη γενετῶν, *vertendum*, *ſeptennem ex elegantiſſimis filiis*. Hîc mirari ſubit, quî Pſeudo-Martorellius ignorarit, patrium caſum (cum partitivus eſt) fere ſemper articulum ſibi praemittere; itaque non τὸν ἑπταέτη ἀρίςων &c. ſed ἑπταέτη τῶν ἀρίςων dictum oportuiſſet. Verum hoc levius: at quae ſequuntur, gau-

dio quanto maximo adeo me perſundunt, ut nihil ſupra. Sic enim ait hac pag. *E contrario, ſi legatur* (τὸν Ἀρίςων Ariſtonem) *uti concoxit adverſarius, poëta ſe probaſſet avariſſimum vel minimi praeconii erga HVNC ſuaviſſimum* παιδισκάριον. Quid hoc monſtri eſt? Puellus hic, de quo tamdiu digladiamur, mas eſt, an femina? an utrumque? papae: hoc tertium eſt: ſcilicet Hermaphroditus eſt. Nam τὸ *Erga HVNC* ad virile genus pertinet: TO παιδισκάριον (cum τὸ παιδισκάριον nonniſi *puellam* ſignet: nec in notione *puelli* exempla exſtent. Gloſſas vero, quas cum tritico ſaepe lolium admetiri queruntur viri docti, non moror.) τό παιδισκάριον; inquam, ſatis indicat, puerum noſtrum ex utroque ſexu conglutinatum fuiſſe. Nunc enimvero gratias merito ingentes Critico noſtro agimus, quippe qui rem omnibus incompertam primus patefecit. Heic ego non dubito fore pleroſque, qui παιδισκάριον ex παιδίσκος *puellus* arceſſi jure optimo poſſe, contendant. At ii ſciant neceſſe eſt, non heic, quid analogiae leges vetent jubeantve, ſed quo ſignificatu τὸ παιδισκάριον re ipſa uſurpatum ſit veteribus, quaeri. Ceterum τὸ παιδισκάριον nonniſi *puellam* notaſſe, praeter Heſychium, Clementem Alexandrinum, alioſque, teſtatur Lucianus in Dial. Mort. XXVII. p. 442. & in Aſino p. 570. Edit. Reitzii. Laërtius vero in Zenone p. 373. Edit. Amſtel. anno 1692. rem extra dubitationis aleam ſtatuit: ubi quo παιδάριον & παιδισκάριον differant, luculenter aperit: quod utriuſque vocis diſcrimen ſi ob oculos habuiſſent interpretes Athenaei, feli-

cius

cius sensum Dipnosophistae lib. V. cap. 8. assecuti fuissent. Et sane miror eruditum senem Palmerium curiosius, ut mihi videtur, Casauboni viri summi παροράματα expiscantem, nihil heic quod rem extricaret, de suo addidisse. Verum haec obiter. Jam vero Pseudo-Martorellius eo argumento hanc expungit lectionem, τὸν Ἀρίστων ἥρπασ᾽ ἀπ᾽ αὐγῆς, quod triplex vocalium conflictus *trucem reddit versum*. Laudo hominis exquisitissimam elegantiam. Sed quid Homero fiet, qui in secundo Iliadis versu, hoc est in principio poëmatis, ubi omnis omnino numeri cultus affectandus erat, μυρί᾽ Ἀχαιοῖς ἄλγε᾽ ἔθηκε dicere non dubitavit? Sed & quid iniquius in hunc cultissimum Poëtam Noster non statuet, ubi in ejus versus quatuor, vel quinque apostrophis redundantes imparatus inciderit? Iliad. XI. v. 259. Τὸν δ᾽ ἕλκοντ᾽ ἀν᾽ ὅμιλον ὑπ᾽ ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης. Ibid. vers. 410. Ἑστάμεναι κρατερῶς ἤτ᾽ ἔβλητ᾽, ἤτ᾽ ἔβαλ᾽ ἄλλον. Ibid. v. 426. Τοὺς μὲν ἔασ᾽. ὁ δ᾽ ἄρ Ἱππασίδην Χάροπ᾽ οὔτασε δουρί. Iliad. XXII. v. 368. cum quinque elisionibus: Καὶ τό γ᾽ ἄνευθεν ἔθηκ᾽, ὁ δ᾽ ἀπ᾽ ὤμων τεύχε᾽ ἐσύλα. An is poëta, quem noster in deliciis habet, fluere lutulentus, & *Teutonicum* quid Scythicumque sonare sibi elegantiarum aucupatori videbitur? Ad haec Censor meus quaedam in hac pagina & in principio sequentis ignorare se fatetur, quae nescisse vel puero ingens est piaculum: *An* (ait) ἁρπάζω *adglutinetur cum casu patrio*, *nam id ignoro* & pag. seq. *An in vocativo sit* χαρίει, *&* *non* χάριεν *ignoro*. At, o bone! quanti tandem laboris erat adire grammaticas institu-

tutiones, nova methodo digeſtas, quas ante hos paucos annos ex Gallico ſermone ſincerus Martorellius in Italicum elegantiſſime, magnoque cum adoleſcentum emolumento convertit? Inde namque pag. 467. didiciſſes verba *auferendi*, *privandi* &c. cum caſu patrio *adglutinari*. Ibi quoque nimirum pag. 73. legere potuiſſes, χάριεις in vocativo habere χάριεν & χαρίει. Ceterum leges apud H. Stephanum Tom. I. col. 544. lit. G. ἁρπάζω σε τοῦ πυρὸς, *eripio te ex igne*; & Tom. IV. col. 356. lit. G. Stephanus graece ad miraculum doctus magis χαρίει, quam χάριεν in vocativo probat.

Pag. IX. Hac pugna pugnatâ, meus adverſarius ἐπινίκιον ſibi & Muſis canit: ait enim, *mihi triumphum reliquit*. Sed unde factum putes, ut is poſt tot infelices conflictus, fauces tamen puero Ariſtoni ſe compreſſurum confidat? Hac vel potiſſimum hoſtili impreſſione: *Sane*, inquit, *ſi* Ἀρίςων *hic puellus eſſet, poëta politiſſimus in* ἐξαςίχῳ *carmine tam culto articulum* τὸν *ante proprium nomen poſthabuiſſet, uti vides in* Μέσσος; *neque ultima vocali litterula curtaſſet, ne verſus incederet horridus*. Verum ab utraque indagine leviſſimo negotio puerum extricabimus. Et quod ad vitioſam, ut putat, articuli appoſitionem attinet: quid abſurdius dici vel excogitari poteſt, quam dictatorio ſupercilio pronuntiare, nomina propria articulo deſtitui? Et ſane ſi adverſarii mei criminationibus danda ulla eſſet fides; de praeſtantiſſimorum, ac vetuſtiſſimorum ſcriptorum exiſtimatione plane conclamandum foret. Quid Homero, qui Iliad. A. v. 11.

τὸν

τὸν Χρύσην; quid Theocrito fiet, qui citra magistellorum minacis ferulae trepidationem Idyl. V. v. 2. τὸν Λάκωνα (ut poëta noster τὸν Ἀρίςωνα) dicere non dubitavit? Millia apud principem Bucolici carminis poëtam nomina propria, articulis insignita in oculos legentium ultro se ingerunt: imo est, ubi in uno versu duplex nomen proprium cum suo quodque articulo copulatum occurrit. Vt Idyl. VI. v. 42. Τόσσ᾽ εἰπὼν τὸν Δάφνιν ὁ Δαμοίτας ἐφίλασε· & Idyl. VII. v. 3. Τᾷ Δηοῖ γὰρ ἔτευχε θαλύσια ὁ Φρασίδαμος. In Anthologia vero quot exempla ad fastidium usque suppeditant! Pag. 8. (Edit. H. Steph. anno 1566.) & passim τὸν Ἕκτορα. Pag. 11. Τὰν Ἀφροδίταν. Pag. 24. Τῆς Ἑλένης. Pag. 103. Τὴν Κίρκεν Pag. 294. Τὸν Κινύρην: & alia id genus, *quam magnus numerus Libyssae arenae*. At Criticus meus malitiosus homo, cum animadvertisset, confertissima nominum propriorum cum articulis nube se oppressum iri; tamquam receptui canens ait: *uti vides in* Μέσσος. Verum nec opinans in Logices elementa peccavit; etenim *petitio principii* est: id scilicet affirmare, de quo quaeritur, Μέσσος an Ἀρίςων, sit ὑποκείμενον (*subjectum*) nostri epigrammatis. Jam vero ut ad alterum criminationis caput, de insolita scilicet elisione in Ἀρίςων᾽, accedamus: hic noster Criticus, postquam plura de Homero falsa somniavit; nonnulla de Pindaro injuriosa tradidit, quasi qui ob arctissimos Lyricae poëseos cancellos contra Grammaticae scita Ἄκρων᾽, Ποσειδῶν᾽ pro integris Ἄκρωνα, Ποσειδῶνα usurparit; sic porro lepidissimam suam censuram

ram hoc epiphonemate absolvit. *Si igitur*, inquit; *nomina* κύρια *mutilandi libido magnos vates non invasit, censorem feremus, qui veterem nostratem poëtam de eo crimine arcessit?* Et nos, ut telum in ejus caput unice caducum retorqueamus, nos, inquam, tantam hominis confidentiam impune feremus? Hem a magnis vatibus nomina propria mutilari negat! Et quidem si ex iis, quae hic deblaterat, conjecturam facere velis, Nostrum *magnos vates*, ad quos confidentissime appellat, ne extremis quidem digitis contrectasse plane jures. Hinc mihi certe palmare argumentum suboritur, hasce ineptias a Cl. V. Martorellio nullo pacto proficisci potuisse. Quis enim nisi calumniosus homo in animum induxerit, Martorellium virum ornatissimum, qui in Homerum suum tot noctes evigilavit, ignorasse, nomina propria, in quamcumque demum terminationem exierint, apostrophos pati apud *magnos vates*, nedum apud ἐπιγραμματογράφους Anthologiae, ut pag. 539. (edit. H. Steph.) Ἄκρων' pro Ἄκρωνα, idque in versu hexametro? Sed ut benignius agam cum meo adversario, apponam brevem ex *magnis vatibus* decerptum indiculum; quo plane conficitur, nomina non minus propria, quam appellativa elisionibus curtata reperiri. Homer. Iliad. II. v. 107. Θυέςʼ. Ibid. v. 246. Θερσῖτʼ. In catal. nav. v. 7. Ἐλεῶνʼ. Iliad. IV. v. 293. Νέςορʼ. Iliad. VIII. v. 201. Ἐννοσίγαιʼ. Iliad. IX. v. 304. Ἕκτορʼ. Iliad. XI. v. 60. Ἀκάμαντʼ. Ibid. v. 426. Χάροπʼ. Ibid. v. 543. Αἴανθʼ. Iliad. XIX. v. 95. Ζῆνʼ. Iliad. XXIII. v. 795. Ἀντίλοχʼ. Hesiod. in fragm. v. 178. Σιδῶνʼ

Theocr.

Theocr. Idyll. XV. Αδων· Et plura corrasissem, nisi vererer, ne quis Masorethicam mihi exprobraret sedulitatem.

Hactenus Aristoni vindicando sat operae, ni fallor, datum est; qui quanta potest voce jam clamitat, tumuli possessionem uni sibi esse addicendam. Nolim autem, ponderosam a me eloquentiae vim quis expectet, qua Paullae ejusque νομιζομένῳ (*putativo*) filio Messo nullum jus esse in tumulum, patefaciam. Ad Paullam enim quod attinet; marmor, cujus auctoritatem & fidem non defugio, vitilitigatores visant; in quo si volam aut ullum Paullae vestigium deprehenderint, iidem in scirpo nodum, adhuc irrepertum, intento digito nobis ostentare poterunt. Quod vero ob expunctam e marmore Paullam, quae nusquam est, plus vice simplici μισογύνην (*feminarum osorem*) me salutat adversarius; quamquam in eo remordere possem, & quidem acrius; tamen, ut bene moratum decet, molliter fero. At quod acres inimicitias cum devoto femineo sexu satis cum periculo gestas, serio monet: (initio siquidem pag. XI. *timendum sane*, inquit; *scimus enim quid possit femina furens*) id vero me vehementer angit. Verendum namque est, ne, quemadmodum Bacchantes Orpheum

Discerptum latos juvenem sparsere per agros;

sic & ego miser ab iratissimo mortalium genere mordicus dilanier. De Messo autem, quod in aurem Censori meo insusurrem, hoc unum habeo: eum in prima editione τὸ μέσος probe *medius* reddidisse: at in repetitis curis τὸ *medius*, in *Messus* abiit: in

tertia editione is eadem peccat : nisi quod *ob puerilem leporem*, ut ipse ait, Messum suum & *Messulum* & *Messinum* lepide appellat; quis autem divinaverit, an & in recentiore porro aliqua editione, μέσσος γενετῶν in *Messum Genetonem* inter obstetricias Censoris manus sit evasurus.

Pag. X. Hic plura in me, quasi per saturam, profert: & primo quidem criminatur me, qui μέσος pro μέσσος in adnotationibus, quae pedestri non poëtico sermone decurrunt, ediderim. Sed, lector, ne putes censorem meum ignorasse, in prosa μέσος, non μέσσος, scriptum oportuisse. Verum ipse, ut est antiquitatis studiosissimus, maluisset μέσσος: sic enim & vetustissimos Dores in soluta oratione scripsisse didici. Incredibile autem dictu est quantum is veterem orthographiam depereat; nam & pag. XI. κατ' ὥραν pro καθ' ὥραν edidit, ἀρχαϊκῶς. Et quamvis nonnulla libelli sui male tornata vocabula rursus incudi typographicae reddidisset; ipse tamen monuit typographum, ut κατ' ὥραν ad antiquitatis speciem, sartum tectum tueretur; tametsi Lucianus, cujus haec verba sunt, καθ' ὥραν probasset. Praeterea contendit, non apud Praetorem, sed apud Phretrarchos (*quos utpote Graecanicos judices benigne secum acturos* auguratur; quamvis ipse injuriam eorum nomini inferens, *Phretarchos*, mutilata litterâ secunda caninâ, pro *Phretrarchos* compellaverit) litem Aristonis esse contestandam. At, quum controversia de Aristonis tumulo heri aut nudius tertius exarserit, nisi *Phretarchos* intellexerit, *fratriarum* seu *confraternitatum Priores*, quos in

in re libitinaria operam ſuam ſaepiſſime locare novimus; non video, cùr vetuſtiſſimis Phretrarchis haec quaeſtio, & judicium committendum ſit; niſi adverſarius Pythoniſſae carminibus Phretrarchorum Manes reſponſa daturos e tumulis ſe eliciturum confidat. Jamvero quod addit, me idcirco Praetoris mentionem feciſſe, quod in ſententiam eorum iverim, qui Neapolitanam Rempublicam ſub primis Caeſaribus αὐτονομίᾳ ſpoliatam, nuper ſcripſere; id quidem nunc miſſum facio; ſed erit fortaſſis alias ea de re dicendi locus. Deinde me accuſat Noſter, quod ἀδέσποτον in fronte editionis meae poſitum ad ſpuriam notionem detorſerim: at eum hoc unum monitum volo; apud juris conſultos, quorum auctoritas hic plurimum valere debet, τὰ ἀδέσποτα nuncupari *res nullius*; Theoph. Inſtit. Lib. II. tit. I. Cur ergo tumulus cum Epitaphio, quem Ariſtoni ego primus aſſerui, ἀδέσποτος antea non recte dicetur? Poſtremo me εὐγένειαν temere pro γνησιότητα uſurpaſſe criminatur. Sed perperam. Vocabulum Εὐγένεια eſt ubi *ingenuitatem* notat: *ingenui* autem ex Livio lib. 10. cap. 8. ii ſunt qui *patrem ciere poſſunt*. Adhaec Syneſio Epiſt. I. qui partus ΓΝΗΣΙΟΥΣ in Republica probant, ii ΕΥΓΕΝΙΑΣ προςάται vocantur.

Ead. pag. poſt medium. Cum de eo quaereretur, patris ne nomen adjunctum, an etiam matris, omiſſo patre, cognomines invicem diſtingueret; nec ulli dubium eſſet, modo antiquitatem de primo limine ſalutaſſet, quin patris tantum nomen ad diſcriminandum valeret; non vero matris; niſi ubi quis ἀπάτωρ

 eſſet:

esset: ecce tibi sinistrorsum prosiliens Noster, lepidum epigramma producit, quod *Messino* mater *Venustina* inscripsit. Cui bono istuc? An umquam ab inscribendo titulo genitricis pietas (praesertim suo conjuge, uti credibile sit, defuncto) prohibebatur? At jam sero intelligo. Amicorum, uti opinor, Noster gratulationes elicit eo nomine, quod *Messulo* suo dulcissimo non tantum *Paullam* parentem, verum etiam *Messinum* germanum fratrem quaesierit. Euge tu vero: jam prosili de balneo, quo te bilem *concocturus* immerseras: bis enim hoc loco dixeras te *concoquere non posse*, cur ego suspectos ejus natales habeam, qui matrem dumtaxat, patre praeterito, demonstrat: jam, inquam, de balneo, sicut olim ille, prosili, simul illud non sine jubilo carmen ΕΥΡΗΚΑ, ΕΥΡΗΚΑ per plateas & angiportos canens. Nam quod *Messulo* Paulla, *Messino* vero Venustina mater exstiterit; id argumento est, eam fuisse binominem. Fruere interim reperto inopinato thesauro.

Pag. XI. & XII. Pro tuendo portentoso, & hactenus inaudito vocabulo ἀγρότεια meus censor utramque paginam facit: pro eodem contra fugando ac perdendo hic ultimus a me impendetur labor. Sed ut ingenue fatear, adeo perplexe, & involute suas hic praesertim exserit rationes censor, ut mihi imitatus videatur sepiam fundentem atramentum, ne capiatur. At equidem hominem teneo. Ait enim, e stipite Ἄγρος plures pullulare stolones; cur non & ἀγρότεια? præsertim cum eam lectionem tueri videatur Lucianus, in Dial. Κατάπλους; ubi auctor ea usurpat

pat vocabula, quae in marmore noſtro viſuntur: ibi: Βαβαὶ τῆς ΕΥΑΓΡΙΑΣ &c. *Papae! quantum fertilitatis?* Hactenus argutatio mei cenſoris. Sed, pace ſua dixerim, eximie fallitur. Nam primo, τὸ ἀργότεια ex ἄγρος poſſe fieri, analogiae canones vetant: deinde εὐαγρία, non ab ἄγρος, ſed ab ἄγρα *praeda* proficiſcitur. Itaque, βαβαὶ τῆς εὐαγρίας non *quantum fertilitatis* (perinde ac ſi eſſet ab ἄγρος *ager*) vertendum fuerat; ſed *quam opima praeda*! Haec non vidiſſe Noſtrum alii fortaſſe mirentur; ego vero humana paſſis humane ignoſcendum eſſe cenſeo. Illud tamen ſerio dolendum eſt mihi, quod in me (qui marmoris ΠΝΕΥΜΑΤΑΠΑΝΤΑΒΡΟΤΕΙΑ in πνεύματα πάντα βρότεια ſecreverim) tenellos puſillorum animos irritaverit, quaſi qui *animas mortales* induxerim. At quantum me tui miſeret Pſeudo-Martorelli! tene ignorare, quod mus urbanus apud Horatium ſe neſcire negat? Is ut murem ruſticum in urbem ſecum ducat, ſic ſuadendo loquitur. II. Satyr. VI. ſub finem:

. Terreſtria quando
MORTALES ANIMAS vivunt ſortita: neque ulla eſt
Aut parvo aut magno leti fuga

Fruſtra ſunt heic interpretes, qui murem ruſticum ſecundum atheorum ſcita locutum ſomniant: quaſi ſi is Epicurei cujuſdam ludum frequentaſſet, quo ceteri muſculi Platonicam ſeveritatem declinantes

Ibant octonis referentes idibus aera.

At ibi τὸ *vivere ſortita mortales animas*, ſi quid video, idem eſt ac *vivere ſortita vitam mortalem*; ut re

re vera paſſim *vivere vitam* legimus . *Animam* vero pro *vita* , imo pro ipſo *homine* ſaepe uſurpari quis neget ? Conſuluiſſe lexica, ſatis eſt. Hinc ſponte fluit noſtri epigrammatis ſententia. *Pluto ſi mortales omnes hominum vitae tibi jure cedunt*, *cur aetatem adhuc acerbam carpis ?* Verum ſi adverſarius , adeo intimis religionis ſenſibus laceſſitur , ut ubique *animam* nonniſi pro *ſubſtantia ſpiritali* uſurpari contendat ; quid ipſe de *Animarum capitatione* , quae in L. 6. Cod. Theod. de coll. donat. legitur, quaeque Graece ψυχικὴ συντέλεια dicta reperitur, ſenſerit? Procul dubio Noſter commentabitur ; *capitationem animarum* eſſe rauduſculum illud, quod *Animae* ſtygem transfretaturae, Charonti portitori pendebant. Euge ! Non Apollinis magis verum, quam hoc reſponſum eſt.

Hactenus de Apologia Jacobi Martorellii Graece Latineque peritiſſimi, cujus gratia hic mihi labor unice ſuſceptus eſt. Ceterum is , qui poſt ſiparium latere, at in exoſtra ſub clariſſimi viri perſona ſpectatoribus ſiſti , mihique eo nomine negotium creare voluit , perſuaſum ſibi habeat ; me poſthac in hanc ſcenam , niſi ſi quid aliud ſuaſerit neceſſitas , non proditurum ; ubi tamquam cum Plautino Pſeudo-Soſia colluſi ſatis : me tamen ab eo nihil umquam vapulaſſe ſat ſcio. Fabula igitur iſthaec a me jam peracta eſt. Valete, Lectores ; & ſi placuimus, plaudite.

NEAPOLI V. ID. MAIAS. MDCCLIX.

AVCTORIS VINDICIARVM

PRO V. CL. JACOBO MARTORELLIO

PALINODIA

Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι ∴

VIx ego vulgaveram Vindicias, quibus clarissimum virum Martorellium a personati, ut conjeceram, Martorellii calumniis purgare fueram conatus; quum renunciatum mihi est, Apologumenωn Priorum auctorem, in quem saepius excandui, revera fuisse Jacob. Martorellium; tametsi informando illi partui plures obstetriciae manus allaboraverint. Quamvis autem adduci non potuerim, ut rem plane mihi persuaderem; tamen incredibile est, quanto luctu repente conciderim, vicem squaloremque cl. Viri, quem puer colui, adolescens observare nunquam destiti, miseratus. Itaque facti illius mei poenitens, tantum non palidoniam cecini. Quum autem nuper Apologumena altera, ab Jacobo Martorellio exarata, ad me pervenerint; de priorum Apologumenωn auctore certior factus, in longe maximam aegritudinem incidi: & ex eo praesertim, quod ornatissimum Virum in capitis discrimine versari acceperim; nam extrema Apologumenωn alterorum paginâ; *cingulo jam munivisse* innuit sua, infirma opinor, *latera*; risu ne fatigata, an bile turgentia, ipse viderit. Verendum itaque mihi est, ne is mecum, qui integra, Deo bene juvante, utor juventute, ulterius digladiando, affe-

affectam jam praecordiorum valetudinem omnino eat perditum. Quamobrem, tum ut meae in ipſum obſervantiae faciam ſatis, tum ut ejus incolumitati proſpiciam, libens meritoque in ſubjectam Palinodiam deſcendam.

Atque utinam, ut res olim erat geſta, opportune renuntiatum mihi fuiſſet; ego enim illo qualicumque *Vindiciarum* labore ſuperſediſſem, tu vero, doctiſſime Martorelli, in tanta ruſticitatis, quae in ſecundis Apologumenis maxime exuberat, latifundia non excurriſſes. Sed, o bone, quid ego tandem commerui; ut in tuis ſecundis Apologumenis tam inciviliter acciperer? an non, te gratulari mihi, quam conviciari, praeſtabat? quis unquam ſando audivit, victum qui pacis leges aequo animo accipere debet, in victorem contumelioſius inſurrexiſſe? Hic obortae inter nos controverſiae ſtatus erat: utrum in vulgatiſſimo Graeco Epigrammate Α'εικένεος, Η'ρπασε Παύλης, Πάντ' ἀγρότεια (quae tu unice deperibas) an Α'εικέλιος, Η'ρπασ' ἀπ' αὐγῆς, Πάντα βρότεια (pro qua lectione ego ſtabam) lectum oportuiſſet. Nam de τῷ Αρίστων, deque μέσσος, & γενετῶν, quod ad interpretationem ſpectabat, nobiſcum erat diſſidium; de lectione vero amice conjurabamus. Quum igitur tu ultro dederis manus, & obtorto licet collo in meam ſententiam diſceſſeris; nonne abs te mihi, qui craſſae tuae lippitudini collyrium adhibueram, cumulatae & prope dixerim, ingentes gratiae agendae fuerant? Atqui ob iſthaec mea in te merita perinde quereris, ac ſi tuae exiſtimationi vulnus immedicabile

bile imposuerim : & usque adeo quereris in triviis, tabernis, comitiisque tuis, ut prope obsurduerit Neapolis, & omne vicinum oppidum. Quoscumque colloquentes videas, de te fabulam narrari putas. Observas omnes, exploras omnia : quiescere non potes. Vide : quaeso, ne tandem aliquando Anticyram sis navigaturus.

Sed Apologumenωn alterorum partes praecipuas paucis attingamus. Tria in his sunt Σχεδιασματίδια, non modo cedro digna, sed quae prorsus aeternitati mandentur, dignissima. In horum primo Messi nomen repetitis curis vindicas, idque non sine tua tristi asperaque in Neapolitanos censura, quibus, quod pro *Aristone* steterint, & Poëtae celeberrimi Italam versionem elegantissimam probaverint, *PALATVM OBSTVPVISSE* affirmas pag. 3. lin. 21. Eane tua est in Cives benevolentia, ut tam levi de caussa conviciis eosdem plectas ? At ceteri mortalium, cum de patria, suisque civibus sermo est, eos a studiis, ab acri ingenio, a bonis artibus commendandi finem nullum faciunt. Nimirum Neapolitani *Palatum hebetatum* habent : eo sensu tu solus uteris exquisitissimo : illi in meridiana luce caecutiunt ; tu vel in mediis Cimmeriis tenebris acutissimum vides : tu solus scilicet in urbe nostra tibi sapere videris. Macte.

Hìc insuper tu ob inventam tandem veram tui *Messi* matrem, nempe *Augen* tam tibi places, quam qui maxime; & ego quidem prolixas utriusque Orbis grati animi erga te significationes tibi panderem, nisi advertissem, te eas in antecessum praesumpsisse, & tan-

to te dignum triumphi apparatu praedicasse, quanto unquam fuerit ille *PAVLLVS AEMILIVS CAPTO PERSEO*, ut inquis, hac pag. 3. lin. 38. O Thrasonianum hominis ingenium! Jam te videre videor, gurgustio tuo egressum, per frequentissima urbis compita tolutim vestigia promoventem, nunc dextrorsum amicis oscula dividere manibus, nunc sinistrorsum civibus, macie ob annonae caritatem confectis, hilari vultu fausta omnia portendere; tanta enim laetitia gestiens auguraris fore, ut, enucleato abs te auspicatissimo *Auges* nomine, frumenta facilius posthac comprehendant, & inde annonae vilitas in Italiam universam stato tempore sit derivatura.

At cur non aptius & verius dicatur Parca rapuisse septennem puerum ἀπ' αὐγῆς, hoc est, *a luce vitali*, quam ab Auge matre? ut autem matrem *Augen* hîc non designatam credam, facit Poëtae de patris nomine silentium; quis enim non ἀπάτορα (*sine patre certo*) argueret puerum, qui quamvis in medio parentum scalptus, matrem tamen dumtaxat ciere posse videatur? Porro ἁρπάζεσθαι ἀπ' αὐγῆς, *rapi a luce*, recte poni pro *e vivorum numero expungi*, ii facile norint, qui Graecorum locutiones compertas habent: ὁρᾷν φάος ἠελίοιο, *videre lumen Solis*, hoc est, *vivere*; contra vero λιπεῖν φάος ἠελίοιο, *linquere lumen Solis*, hoc est, *mori*, apud Homerum & Hesiodum: imo absolute στερεῖν τοῦ φωτὸς, in Axiocho, *privare luce*, h.e., *vita*. Jam si pro φωτὸς substituas αὐγῆς ejusdem notionis (αὐγὴ enim Hesychio est φῶς) στερεῖν αὐγῆς erit *privare luce* i.e. *vita*: quod cum

cum adversarii criminationibus patere non possit; miror sane eum tantopere ad τὸ ἁρπάζειν ἀπ' αὐγῆς, *rapere a vita*, tamquam ad Maleae promontorium expalluisse. Cum ergo paribus exemplis sustinerer, cur τὸ ἥρπασ' ἀπ' αὐγῆς, non interpretarer *sustulit a luce?* Ἥρπασ' ἀπ' αὐγῆς, inquam, vel junctim ἀπαυγῆς. Nam utroque modo legi posse jam olim monueram. Attamen, per me licet, fruere, Vir doctiss. illa tua *Auge*, quam nollem e te perperam sexies septiesve scriptam cum accentu in ultima: quae vox, si nomen proprium esset, penacuenda fuerat. Hic equidem inclamarem; *vapula;* si tantum arrogantiae mihi tribuerem, quantum conviciandi, temere tibi (suadenti pag. 13. lin. 42. pueris, ut mihi *ciconiam pingerent*) licere autumasti. Fruere, inquam, tua Αὔγη, per me non stat: illud vero concoquere non possum, quod pag. 8. lin. 12. dictatorio supercilio negas, formulam illam, *rapere ab aura*, neque graece neque latine usquam reperiri. Nam ut graecas lautitias tibi uni graece peritissimo reservem; quid fiet latina illa inscriptione Neapolit. in qua ea formula legitur? Gruterus, inquis, inter supposita epigrammata pag. XVII. 1. illam recensuit; eâque idcirco abuti quemquam, veto. At si Gruterus adulterinam credidit, eam Reinesio, Grutero recentiore, & criticorum morosissimo, genuinam Cl. XVIII. 51. nobis probante, cur eamdem, ut antiquitatis cimelium, non amplexabimur? Verum cum meo adversario liberalissime agere volo: sit illa inscriptio adulterina, sit spuria, triumphet Martorellius; quid tum postea?

 an

an continuo τὸ *rapere ab auris* erit absonum latinis auribus? Quid, quaeso, Vir eruditiss. in ea locutione inconditum, inconcinnum, quidve regulis grammaticorum abnorme intueris, edisseras velim; ut & nos tuis criticae regulis informati, idem aliquando conari possimus? nisi quod vellem, ut prius Gruterum DCLVI. 2. consuleres: *RAPTVS ego SVPERIS*, *patribusque ablatus inique* &c. num hîc dubitare poteris, quin τὸ *superis*, sit *superis auris*, dicente Virgilio: *Sed revocare gradum, SVPERASQ. evadere AD AVRAS* &c.? Maro videtur imitatus Homerum Odyss. λ.' v. *616*. ὑπ' ΑΥΓΑΣ ἠελίοιο.

A pag. *9*. incipit σχεδιασματίδιον alterum, in quo quid valeant binae illae voces πάντα βρότεια, mira felicitate disseritur. Nempe eo spectant omnia, quae hîc Noster pluribus persequitur, ut nos ipse, nos, inquam, minutos discipulos doceat, πνεύματα βρότεια esse *humanas animas*. Euge tu vero, Martorelli, quis tibi posthac superbissimam *Magistri* nomenclationem eripuerit? At nos tibi irascimur, quod sero nimis hanc significationem, hactenus incompertam, aperueris: an quod sic erat in fatis, te, nonnisi cum esses sexagenario major, has doctrinae divitias foeneraturum esse seris nepotibus? utut tamen est, tuorum in nos beneficiorum vel serâ commendatione recreamur beamurque. Ergo doces, τὸ βρότειος non esse *mortalis*, sed *humanus*: hanc autem notionem te conatu, ut opinor, Herculeo expiscatum esse ais *tum ab ANTIQVORVM lexicis, uti FAVORINI, Hesychii; tum nuperorum, ut ab illo Tusani &c.* pag. 12. lin.

52.

52. Verum, lector, ne mireris, doctissimum Virum turpiter ignorasse, *Varinum Favorinum* ad antiquos, & cascos lexicographos minime pertinere, multoque minus illum Hesychio, plus minus mille annos vetustiori, fuisse praeponendum: *Favorinus* enim, ut vel pueri sciunt, sub Leone X. Pont. Max. floruit, & vivere desiit adulto Saeculo XVI. eodemque medio h. e. anno 1552. *Jacobi Tusani* Lexicum Graeco-Latinum prodiit Parisiis: haec, inquam, ne mireris, ignorasse meum adversarium; nam eum a Lexicis (quorum lectionem mihi exprobrat) divortium fecisse; facile conjiciet, qui ejus opuscula, lexicis locupletandis, si Superis placet, nata attente legerit. Quanto pretio mercarer, ut Professor linguae graecae accuratius existimationi suae consuleret! Verum haec obiter. Ergo πνεύματα βρότεια, dissertante Martorellio, sunt *animae humanae*. Atqui nostri homines ajunt, abstinere se potuisse Virum ornatissimum hac tam spissa commentatione, haec enim omnia cum vulgaria esse, tum falsa putant. Nam quotus quisque est, qui quae *humana* sunt, ea *mortalia* non appellet? An putem censorem meum ignorasse illud Virgilii: *Quid non MORTALIA pectora cogis Auri sacra fames?* num hic *mortalia* pectora, non sunt *humana* seu *hominum* pectora? At, inquit, si βροτὸς esset *mortalis*, perperam Homerus Odyss. H. v. 210. unà βροτοὺς θνητοὺς copulasset. Fallitur. Hic enim ἐπεξήγησις est, figura satis obvia, cum una vox alterius est enarratio: sic & Horatius in Art. *MORTALIA facta PERIBUNT*. Sed & quas nugas non dedit Noster, cum

pag.

pag. 13. v. 1. Homericum Iliad. ε. v. 361. βροτὸς ἀνὴρ explicat, *Dux ex hominibus ?* Eo loco de Venere Martem alloquente ſermo eſt, quae, ut crimen injuriae ſibi illatae aſperaret, narrat, quod Diomedes βροτὸς ἀνὴρ h. e. *homo* Deam, *mortalis* immortalem ſauciare non dubitaverit. Atque is ſenſus eſt, ea prorſus mens Poëtae, quam linguae graecae profeſſorem non vidiſſe, quis mecum non mirabitur? At is, ſi de notione τοῦ βροτὸς certior fieri vellet, in ejus compoſitum ἄβροτος ſeu ἄμβροτος (epitheton Deorum) intendere oculos poterat. Et ſane ludibrium deberet Cl. Martorellius, ſi θεὸν ἄμβροτον, Deum *non humanum*, quam *immortalem* mallet vertere. Itaque cum apud Homerum Iliad. χ. v. 9. θνητὸς *mortalis*, opponitur ἀμβρότῳ *immortali*, cur nos βροτὸν non interpretabimur *mortalem ?* Hinc liquet, quam lepidum feſtivumque ſit etymon τοῦ βροτὸς ex Hebraea lingua petitum, quo quidem ſi ſuperſediſſet, ſuae Orientalium linguarum peritiae ſatius conſuluiſſet. Sed & toto hoc σχεδιασματιδίῳ impune carere poteramus; praeſertim cum omnes me tribus verbis eadem tanto ante dixiſſe contendant. Et ſane cum in *Vindiciis* pag. 7. lin. 4. ante finem, memet explicans, ſcripſiſſem, πνεύματα πάντα βρότεια, eſſe *mortales omnes HOMINVM VITAS*, nequeo ſatis decernere, quid novi procuderit Cl. Martorellius Apolog. II. eadem Graeca vertens pag. 15. lin. 18. *quorumvis HOMINVM VITA*. An hoc non eſt actum agere, & alienas merces pro propriis extrudere? Laudo mangonis artificium.

Sequitur pag. 13. tertium σχεδιασματίδιον, *De*

vera

vera notione PRAECLARISSIMAE voculae τίς. Mira hoc loco, ut omnia more ſuo, praedicat Martorellius; & cum D' Orvillii ſui voluminibus ſuffarcinatus, conſcenſo veluti ſuggeſtu, imperatoque dexterâ ſilentio, edicit „ voculam τίς ſaepe notare *Cognitus*, *Famoſus* „. Mox, ut ſua commentatio altius in adoleſcentum animos deſcendat, nonnulla ejus rei exempla, *at NON a nuperis Lexicis* (inquit pag. 14. lin. 22.) petita, producit. Sed reſiſtamus hîc parumper: quaero a te, Martorelli optime, an H. Stephanum, qui anno 1572. Theſaurum Graecae Linguae typis mandavit, nuperis lexicographis accenſeas? Nullus quidem dubito, quin hunc *nuperrimum* credas; cum Tuſanum tuum (a quo *multum opis tibi eſſe* ingenue fatebaris pag. 12. quique anno 1552. ut modo diximus, lexicum G. L. edidit) *nuperum* appellaveris. Igitur, vir humaniſſime, qua fronte, quove ore, Te a *nuperis* lexicis profeciſſe negas, ſi exemplorum pleraque a te, tamquam e tuo penu hîc producta, eiſdem plane verbis decurrunt apud Stephanum? an non id mihi palmarium erit argumentum, te ſaltem alicujus recentioris ſcriptoris ſcrinia compilaſſe, qui pridem Stephani Theſaurum vacuefecerit? Conſule H. Stephanum in voce τίς. Tom. III. col. 1547. Quis porro ille ſit, cujus lectioni mancipatus immoriaris, equidem neſcio; nec ſcire fas eſt omnia: tamen ſi quid conjectandum eſt, a Philippo d' Orvillio, vel ab Ezechiele Spanhemio Comment. in Callimachum ea mutuatus es, quos ſolos habes Auctores, ſolos buccis hiantibus crepas, ſolos ruſticatum ducis comi-

tes.

tes. Et tamen audes tertio quoque versu me, ut lexicorum lectioni addictissimum, ut *nugivendum* traducere. Apagesis, & morboniam, si libet, concede.

At tua illiberalia in me convicia ubi primum in vulgus manarunt: mirari se universi dictitabant, qui fieri unquam potuerit, ut Vir modestissimus, rarissimique exempli, &, quod caput est, non impetitus, tantam in me contumeliarum struem conjecerit. Alii praeconcepto odio tribuebant, quod diu multumque collectum, ubi vel frivolam ansam arripuerit, tragoedias excitare non dubitat. Alii praejudicatae de se opinionis vitio dabant; solent enim, qui dictaturam in republica litteraria nactos esse sibi temere persuadent, mirum quantum in eum excandescere, qui suam sententiam secus, ac ipsi, olim explicuerit. Alii vix & aegre obtendebant alia; sed idoneam caussam se nancisci non posse, ajebant. Ego vero, quippe unus e multis, sic municipum meorum rationibus non acquiescebam, ut tamen illos omnino falsos, dicere non auderem. Sed certe mitius cum meo Adversario agendum esse, semper duxi. Itaque quod ceteri diuturno odio, & dictaturae temere usurpatae vertebant; id ego frigusculum amantium, & nescio quam praerogativam ambitam mollissime interpretabar.

Verum nunc memet ipse recipio, atque haec conviciorum plaustra, quae alii pectore illiberali effusa suspicari possent; ego, qui hominis ingenium penitus exploratum habeo, aliorsum quam in bonam partem, accipi veto. Quo tandem modo, roges?

bi-

bilinguis eſt Noſter; ſolet interdum cum amicis verba commutans, ea uti lingua, cujus ſenſus intimos fruſtra exquiſieris, niſi prius arcana ejus dialecti comperta tibi ſint. Ergo ut abſtruſa pandam pariter, ac Noſtrum ruſticitatis abſolvam: is ſaepe lutulat, quos laudare: ſaepe contumeliis impetit, quos humanitate & comitate proſequi: ſaepe demum ſale plurimo perfricat, quos blanditiis ſibi demereri habet in animo. Quae quum ita ſint, cur, quae pocula in ſpeciem amari ſucci mihi Vir ornatiſſimus propinat, non libentiſſime abſorbeam? Perge porro, Vir Cl., & tuis me convitiis, hoc eſt, ut ego interpretor, exquiſitiſſimis praeconiis perſtringe: quae quanto acriora tibi exciderint, tanto ampliorem commendationem mihi conciliatum iri, crediderim. Interim tuae humanitati, tuis in me praeclaris officiis ingentes ago gratias; & ego quoque, ſi quae vellem, etiam poſſem, par pari referrem, & per artificioſam contumeliarum poſitionem, elaboratiſſimum encomium tibi concinnarem; niſi me terreret exemplum aſelli AEſopici, ungulis hero ſuo adblandientis. Sed quid obtrectationibus in molliorem ſenſum accipiendis opus eſt? num per veras laudes gratum animum erga te meum probare non poſſum? ſic certe faciam.

Sed antequam laudes tuas percurrendas aggrediar, una atque altera accuſatio tua, quas in bonam partem accipere non poſſum, videntur repellendae. Pagina prima linea 24. me accuſas, quod vindicias ediderim *poſt triginta ſoles:* eadem pagina linea 52. me prodiiſſe criminaris *poſt longiſſimum menſis ſpatium*. Sed,

 o bo-

o bone, intercalatum ne est eo mense, quamobrem *longissimum* appelles? ego enim non memini. Sed utinam, Amice suavissime, ab isto ulcere tractando manus abstinuisses! an me latere etiam putas, per te stetisse, quo minus in publicum citius prodirem? nonne pridie quam Surrentum concederes, apud illum virum sanctitate, doctrina, morumque suavitate commendatissimum, cujus auctoritas apud utrumque nostrum valere plurimum debet, ita vehementer te jactasti, usque adeo precibus eum obtundere non destitisti, ut is quem calamum jam acuendo ornaram, suavissimo imperio suo ex manibus meis excuteret, & me rogatu tuo a scribendo prohiberet? cui quidem viro gravissimo tamdiu morem gessi, donec amicorum pluribus efflagitationibus fatigatus, aegre tandem ab eodem impetravi, ut Vindicias meas, uni Pseudo-Martorellio ingratas, nomini vero tuo perhonorificas, in vulgus ederem. Culpae tuae conscius, quo ore, mi homo, tarditatem meam accusas? Hinc mihi facultas praebetur confutandi alteram calumniam, qua pag. 2. lin. 26. *Graculum* alienis plumis ornatum appellas; quibus si tibi libeat me spoliare, nudatus jam, mutuatis coloribus, risum moveam necesse est. At, si quid video, me, quem probe nosti, graculum pennis pavonis indutum, hoc est, armis majoris alicujus instructum non ea de causa criminaris, quod revera putes, me tecum pugnaturum, alienis praestantioribusque lacertis egere; sed quod te vehementer pudeat, ab juvene poplites tibi succîdi, idcirco non mecum sed cum majore, nescio quo, tibi

rem

rem esse, malitiosus dictitas & vulgas. Videsne, quam pulchre animi tui sententiam teneo? Sed nolo diutius contentiosum funem ducere. Mitiora consilia jam ineunda sunt mihi, pacis amantissimo; quovisque pretio tua benevolentia captanda. Id nunc dabo operam, ut laudibus ex vero quaesitis te, quoad ejus facere potero, cumulem, & quae in *Vindiciis* olim pertexui, nunc sigillatim retexam. Qua opera functus spero, ut haec *palinodia* tantum decoris & ornamenti sit tibi Viro doctissimo additura, quantum illae *Vindiciae* detraxerant.

Ergo, Vir ornatissime, nec satis unquam mihi laudate, aequi bonique consulas, quod tibi nihil tale opinanti exciderit. Quid enim illi facias, qui quum in τὸν δεῖνα jaculum intorquere credat, te imprudens collineet? Ceterum tot, tantaque sunt tua in republica litteraria ornamenta, ut fulgor tuus, nusquam non scintillans, nullo objecto pulvere obfuscari queat. Nam, ut inde incipiam; in rebus grammaticis quanta tua sit solertia, & sedulitas, vel pueri norunt. Praeterea stylus scribendi tuus adeo magnificus est & sublimis, ut prope dixerim, tubam sonare videatur: adeo feliciter elaboratus; ut si ad obrussam exigas, cum Ciceroniano contendere merito putes: adeo amoenus, adeo denique multiplex & varius, ut lector tanquam Hymettia, vel Hyblaea mella liguriendo satiari nunquam possit. Ad verborum vero delectum quod attinet, quamquam multi invidi illi quidem & maledici dictitent, te de industria sectari obsoleta, incondita, obscura, rancida, pessimeque consuta; un-

de obſcuritatem tantam proficiſci ajunt, ut te prorſus non intelligant: Ego tamen non ſim candidus, ſi tua illa omnia, flores Latinitatis venuſtiſſimos appellare recuſem. Sed quid facias? noſtin' Horatianum illud, *Invidiam* nonniſi *ſupremo fine domari?* Inficetum impiumque ſeculum ſtomachati, Martorelli optime, quid moramur emori?

Tuam porro Graecanicam peritiam, quis tam bardus eſt, ut, viſis dumtaxat tuis libellis, non ſtatim perſentiſcat? Et ſane ita Graeca cum latinis plena manu interſeruntur, ut & varietate paſcant oculos, & muſivi operis elegantiſſimi ſpeciem prae ſe ferant. Quinimo ſi utriuſque ſermonis vocabula ſeorſim metiri quis velit, pluribus certe modiis Graeca Latinis antiſtare miretur. Id autem inde eſt, quod tua praecordia, Graeco muſto efferveſcentia, ultro deſpumant Graecanica; eoque ſermone id regerunt libenter, quod ceteri trivialiter litterati vocabulis latinis vix exprimerent.

Sed & tuam in rebus Orientalibus diſciplinam imprudens praeterieram. Tanta autem tua eſt in Hebraea lingua cum cognatis dialectis peritia, ut ſi novis vocabulis uti fas eſſet, aequa mihi foret invidia, ſi tu *Rabbino Rabbinior* a me ſalutareris? Ad haec tuam lapidariam facultatem quis ſatis pro dignitate praedicaverit? Stilus certe tuus eam praeſefert indolem, quae lapidum ingenio apprime conveniat. Porro ſermonis obſcuritas, quam in tuis inſcriptionibus plerique taxant atque faſtidiunt, tametſi partem inde eſt, quod frequenter oratio diverſis e membris conte-

texta ſit ; tamen illud etiam officit orationis perſpicuitati, quod in argumento per ſe ſubtilitatibus involuto, Taciti etiam affectas breviloquentiam, nonnunquam & ſententiarum pondus, ac gravitatem.

Illud me angit vehementer, quod nonnulli invidi homines id tibi in pangendis inſcriptionibus objectant, quod Dorſenno in comoediis ſcribendis exprobrat Horatius II. Epiſt. 1. quorum tu inconditos latratus, ut obturata aure pertranſeas, auctor & fundus tibi ſum, ne quid Reſpublica ex tuo ſilentio, nobis ingrato, detrimenti capiat. His, ne quid de tuis vigiliis impune depereat, addiderim cenſuras librorum, & epiſtolas dedicatorias, in quibus non modo nos, ſed etiam poſteri habebunt, quo ſe mirifice oblectare poſſint. Quas quidem tuas breves, ſed repertu difficiles lucubrationes in unum faſciculum colligere, & notulis illuſtrare jamdudum mihi geſtit animus, & ſi fortuna juverit, brevi ſpero me fidem liberaturum. Interim adverte, vir ornatiſſime, quantum tibi tribuam, quanti te faciam: tu mihi *VLCERA LATINITATIS MEAE ſecturum* (critica an foenaria falce?) minitaris pag. 2. lin. 11. Ego vero tuas latini ſermonis delicias unde unde converrere, & in unum comportare meditor.

At officio meo functus non ſim, niſi pauca de tua nummaria facultate chartis illeverim. Enimvero veterum numiſmata, quorum ingentem copiam in loculis tuis congeſtam ajunt, ita in numerato habes atque diſcernis; ut ſtatim, cujus Principis imaginem referant, mira facilitate & dexteritate exponas. Et

ſane

ſane eam cum nummis hujuſmodi conſuetudinem jam inde a pueritia inſtitutam habes; ut quid de unoquoque nummo ſit ſentiendum, ſolo prope dixerim olfactu explores; quodve pretium ſit ſtatuendum, perinde ac ſi Triumvir Monetalis eſſes, edicas.

Jam vero de tuo *Grandi Atramentario Negotio* quid primum eloquar, quidve poſtremum perorem? Hoc unum certiſſimum habeo, te, ſimul ac in vulgus manaverit magnum illud tuum univerſae eruditionis Hebraicae, Graecae, Latinaeque promptuarium, exſpectationem, quam tui apud omnes conciviſti, praeclare tuiturum. Adeo ſolida, adeo explorata ibi ſunt omnia, ut rem atramentariam tuam propriam feceris: uſque adeo, ut ſi noſtra hac aetate Veterum Gloſſae recudendae eſſent, inibi *Atramentarium*, & *Martorellius* e regione ſibi mutuo, tanquam ſynonyma, reſponderent. Nec ullus dubito, quin Centuriae litteratorum te in gerenda atramentaria provincia Conſulem ſine Collega ſint renuntiaturae.

Atque haec eſt mehercule animi de te mei ſententia, quam in publicum ſpargere eo libentius volui, quo teſtatum apud omnes relinquerem, me nihil exiſtimationi tuae detractum voluiſſe; ſi in concertatione de interpretando vulgatiſſimo Graeco Epigrammate tibi nonnulla oppedere auſus fuerim; imprudens tamen, nec facturus, ſi in tempore quis amicus mihi in aurem inſuſurraſſet, te fuiſſe prioris interpretamenti, & Apologumenωn auctorem. Interim rem non injucundam me tibi facturum ratus ſum, ſi quae tibi contraria tum nec opinans edidi, nunc opportune, libentique animo recantatum ivero.

Ac

Ac primum omnium ajo, me toto Coelo aberrasse, qui in Vindiciis pagina 2. lexicis veluti manu ductus, asserueram τὸ ἀεικέλιος esse compositum ex α privativo, & verbo εἴκω; nunc autem, te mihi facem praeferente, doctior factus non dubito, quin sit ex particula ἀεὶ, & tuum est, ut mihi suggeras, doctissime Martorelli, alteram compositi partem, quam ne diutius Reipublicae litterariae invideas, oro, obtestorque. Praeterea subnotaveram pag. 4. nomina propria interdum articulis insigniri, & elisiones pati non secus, ac appellativa vocabula; idque pluribus exemplis, a praestantissimis Poëtis mutuatis, suadere conatus fueram; id totum nunc, quando sic jubes, muto & retracto libentissime. Quid ni? nam siquando vocabula sic affecta usquam reperiantur, vel non sunt propria nomina, vel in mendo cubant, quae jamdudum manus medicas clarissimi Martorellii expectant.

Pag. 2. 3. in asserendo *Aristonis* nomine sedulo dabam operam: at cui bono? Quamvis enim ceteri, quod noverim, mortalium pro Aristone dimicent, isque jam, margaritarum ritu, quas a ferocientium fluctuum attritu firmitatem & candorem sibi contrahere ajunt; ex offusa a te caligine splendidior emerserit; tamen, quia tua, vir ornatissime, plus apud me, quam ceterorum valet auctoritas; Aristonem insuper habeo, atque ad corvos amando: tuum contra elegantissimum παιδισκάριον *Messum* (quis crederet?) amplector, & tueor: eumque *Paullae* honestissimae matronae gnatum profiteor. *Paullae* dumtaxat? mi-

ni-

nime gentium. Sed & *Auges*, ſeu *Luciae*; nam, ſi *Auge* latino vocabulo exprimenda foret, nullum ei aptius, quam *Luciae* vocabulum e regione reſponderet.

Verum, ne rurſus inter nos concertationes olim recrudeſcant, ſi quando *Paullae*, & *Luciae* pertaeſus, poſthac vel Apolloniam, vel Salviam, & Victoriam, vel quamvis aliam bene ominatam, ſecundum, opinor, Anaxagorae homooemeriam, ex illis quinque marmoris elementis confingere malueris; jam nunc in incertum tuarum opinionum exitum auctor fio. Fac periculum: me, ut ſequacem ceram, vel udam argillam experieris.

Quod vero addidi de originatione εὐαγρίας, quam ex ἄγρα peti pag. *6.* contendebam, illud vehementer doleo, & devoveo: te enim eam vocem ab τῷ ἀγρὸς arceſſente, poſſum ne in tanta tuae eruditionis luce caecutire? quod vero ad πάντα βρότεια, & ultimi diſtichi ſenſum pertinet, cum tu in meam ſententiam pedibus iveris, nihil eſt, quod recantem.

Sed jam exiſtimationi tuae ſatis me feciſſe arbitror. Hoc unum reſtat, quod mea me aegritudine plane levare poſſit, ut & mihi tuum reddas animum, & friguſculum illud non tam mihi condones, quam bonis omnibus ejus gratiam facias. Quod ſi ab humanitate tua impetravero; non dubito, quin tuae *Paullae*, ſive *Luciae*, honeſtiſſimae matronae, atque elegantiſſimorum filiorum genitrici me non vulgari commendatione tradas: quam ſi ſtatim non quiveris exorare; utere, ſodes, ſequeſtro tuo *Meſſulo* puello

ele-

elegantiae pleno, cui pro me peroranti aures illa faciles, ſat ſcio, commodabit.

Haec jam formis typographicis erant expreſſa, prelum mox ſubitura; quum commodum incidi in Reineſii Cl. XII. 104. ubi: φωτὸς ἀφαρπασθεὶς βρέφος eſt *infans luci raptus*. I nunc, Cl. Martorelli, & τὸ, *rapere luci*, Graecam locutionem eſſe, pernega! Sed & eo magis ludibrium debes, quod τὸ, ἁρπάζειν cum caſu patrio ſine praepoſitione nuſquam reperiri, ſaepenumero inculcaſti. Vide Gorium *ex Guarnacciano Muſeo in Donian. Inſcript. Cl. X.* 45. ζωᾶς βρέφος ἥρπασε Δαίμων, *vitae rapuit infantem Deus*: Fabrettum cap. X. n. 449. *Menophilum* αἰνοτόκων γονέων φθόνος ἥρπασεν, *rapuit miſeris parentibus invidia*. Quocirca ſerio his monendus eſt in calce hujus *Palinodiae*, h. e. in loco omnium ſpectatiſſimo, ut cogitationes ſuas ſubito calore mentis effuſas tamdiu vulgare diſtrahat, donec non aegri ſomnia ſe venditare certior fiat. Auctarii loco addam hîc diſtichum Graeci Epigrammatis ex Gorio *loc. cit.* a quo mihi temperare non potui, eo quod cum ultimo diſticho noſtri marmoris, quod doctiſſimi Martorellii ingenium torſerat, apprime faciat:

Ἀ'πλήρωτ' Ἀΐδα, τί με νήπιον ἥρπασας, ἔκφρον;
Τί σπεύδεις; οὐ σοι πάντες ὀφειλόμεθα;

Quod, interprete Hagenbuchio, ſic latine ſonat:

Cur aufers me, ſtulte & inexſaturabilis Orce?
Non tibi (ne propera) debitus omnis homo eſt? (*a*)

Dabam Neap. VI. Kal. Sept. M DCCLIX.

GRAE-

(*a*) In eandem fere ſententiam nuper luci datum (VERMIGLIOLI loquitur Marmor hoc Peruſinum, *Iſcriz. Perugine* to.II. cl.XI. pag.424):

ΑΠΛΕΩΤ ΑΙΔΕ ΤΙΜΕ ΝΕΠΙΟΝ ΕΡ ΠΑCΕCΑΦΝΩ
ΤΙCΠΕΤΔΕΙC ΟΤ CΟΙ ΠΑΝΤΕC ΟΦΕΙΛΟΜΕΘΑ;

quod civitate Romana donare auſi more quidem noſtro, ſatis libe- ſumus, properante calamo, &, re:

Rumpere quid properas puerilia ſtamina; nemo
Si fugit e diris faucibus, Orce, tuis?

CASTALDIVS

GRAECORVM EPIGRAMMATVM

QVAE LATINE REDDITA A V. CL.

JACOBO MARTORELLIO

PROSTANT NEAPOLI

IN SACELLO JOVIANI PONTANI

EDITIO ALTERA

CVI AB ALIENA MANV ACCESSERVNT


BREVES NONNVLLAE ANIMADVERSIONES.

CVm magna ſemper exſtitit apud omnes opinio de Cl. viro Jacobo Martorellio, & ſingularis doctrinae ejus commendatio; tum hoc praeſertim tempore magnifice noſtri homines de eodem & loquuntur & ſentiunt. Vnus enim eſt per urbem Neapolim pervagatus ſermo, una omnium illa eſt ſententia, penitioris Martorellii litteraturae radios, ſi umquam alias, nunc quidem, velut in artum concluſos, micuiſſe vehementius. Marmora enim graeca in Sacello Joviani Pontani Muſarum ſtudiis cultiſſimi, eruderando nuper reperta, atque ab eodem latine reddita; mutili tituli ſuae integritati reſtituti tantam illi mehercule conciliarunt exiſtimationem, quantam ulli hominum vix fas eſſet optare. Nam quicumque, ſeu advenae, ſeu cives eruditi viri in illud Pontani Sacellum inferunt pedes, vetuſtos illos titulos primum, ut par eſt, venerantur & ſuſpiciunt; deinde ubi eoſdem titulos in amplioribus

tabulis marmoreis transcriptos, Martorelliique tum vertentis tum restituentis nomine insignitos lustraverint, adeo tanti viri eruditionem, adeo sedulitatem praedicant, ut nihil accedere posse videatur.

Quamquam autem & ego eruditis tam praeclare de Martorellio sentientibus, libentissime adstipuler; tamen, ut verum fatear, naevos quosdam, minutulos illos quidem, in Martorellianis interpretationibus deprehendere visus sum, quos singulos paucis infra persequar; non quod illi cupiam oppedere, sed quod mihi spes est fore, ut obortos in animo meo scrupulos sedulus aliquis scribendo evellat. Primum ergo marmor sic habet:

Marmor *Vetus*.



Marmor *Novum*

ΤΟΝ ΠΑΣΗΣ ΑΡΕΤΗΣ ΕΙΔΗΜΟΝΑ ΦΩΤΑ ΦΙΛΙΠΠΟΝ
ΠΡΕΣΒΥΝ, ΙΑΟΝΙΗΣ ΕΜΠΕΡΑΜΟΝ ΣΟΦΙΗΣ,
ΑΥΣΟΝΙΩΝ ΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΕΡΑ ΚΛΥΤΟΝ ΑΝΤΙΓΟΝΟΙΟ
ΘΡΕΨΕ ΜΑΚΗΔΟΝΙΗ, ΔΕΞΑΤΟ Δ' ΕΙΤΑΛΙΗ.

MUNERE LEGATI FVNCTVM VIRTVTE PHILIPPVM
OMNIGENA, DOCTRINA INCLYTVM ET IONIA,
CONSVLIS AVSONIAE ANTIGONI HAVD SINE SORTE PARENTEM
NVTRIVIT MACEDO, NVNC TENET ITALIA.

INTERPRETAMENTVM JAC. MARTORELLII REG. GR. LING. PROF.

VERS.

VERS. 2. Πρέσβυν. Non video, cur πρέσβυν interpretemur *Munere Legati functum*, ut Cl. Martorellius vertit. Nam cuicuimodi legatus Philippus ille fuerit, certe auctor epigrammatis uno saltem verbo mutire debuit; nec committere, ut honorifica Philippi legatio posteros lateret. Quanti tandem laboris erat addere *Legatum Caesaris* vel tale aliquid? Praeterea quis, rogo, paulum in graecis litteris versatus ignoret, πρέσβυν cum τῷ Υ in ultima non *Legatum* (qui Graecis est πρέσβις cum *Jota*) notare, sed *Senem*? Scio quid fortasse Martorellio imposuerit. Legerat is in nuperis quibusdam lexicis, quae vulgo scholarum usus commendat, nempe Joannis Scapulae, & quae inde derivata sunt, sub themate πρέσβυς utramque statui significationem & *Legati* & *Senis*; idcirco ut titulo non vulgari Philippum honestaret, τὸ Πρέσβυν interpretatus est *Legatum*, spreta scilicet altera *Senis* notione, quam fortasse viliorem credidit. At, nisi fallor, *Senem* quam *Legatum* ille maluisset, si exempla Scapulae aliorumque suis ipse oculis lustravisset. Et sane το πρέσβεως, quod in notione *Legati* ex Aristophane laudat Scapula, non ex πρέσβυς, sed utique ex πρέσβις repetendum docet Suidas. En verba Suidae: Πρέσβις, πρέσβεως οὐχὶ δὲ ἀπὸ πρέσβευς εὐθείας. οἱ γὰρ λέγοντες ἁμαρτάνουσι. h. e. Πρέσβις (*Legatus* format genitivum) Πρέσβεως *Is autem non est a recto* Πρέσβευς. *Qui enim hoc dicunt, errant.* Suidae adde Etymologum Magnum; quorum testimoniis temere abusus est Scapula. Πρέσβις, ὁ ἐκπεμπόμενος πρὸς βασιλέα πρέσβεες Πρέσβεις, h. e. Πρέσβις *Lega-*

tus

tus ad Regem missus *in plurali habet* Πρέσβεες, Πρέσβεις. Itaque Πρέσβις cum *Jota* in ultima *Legatus* est Suidae & Etymologo. At vero Πρέσβυς cum Υ nonnisi *Senem* notat. Hesychius: Πρέσβυς, γέρων, *Senex*. Etymologus: Πρέσβευς, ὁ γεραιος.... κλίνεται Πρέσβυος καὶ Πρέσβεως. Πρέσβυς, *Senex*... *habet genitivum casum* Πρέσβυος & Πρέσβεως. Cum autem & Πρέσβις & Πρέσβυς in plerisque casibus conveniant; inde est, quod Πρέσβεις in plurali numero sint Hesychio & Etymologo Γέροντες & Πρεσβευταί, *Senes* & *Legati*: nimirum quia utraque vox, cum formet casum patrium Πρέσβεως, in plurali habet Πρέσβεις. Hoc in more positum veteribus lexicographis fuit, ut si quae voces sono & scriptura convenirent, tametsi notione discreparent, sub harum alterutra diversas significantias exhiberent. Hesychius; ΗΙΟΝ ἐπορευόμην, καὶ γναθον. *Ivi & maxillam*. ΟΙΣ πρόβατον, ἢ τοῖς ἑαυτοῦ, ἢ τοῖς σοῖς. *Ovis*, *vel suis*, *vel tuis*. ΟΙΣΟΝ κόμισον, φέρε, ἢ σχοινίον. *duc*, *fer*, *vel funis*. ΟΙΩ, δοκῶ, μόνῳ. *puto*, *soli*. Sunt & sexcenta id genus alia, in quibus sub una eademque voce dissimillimae connectuntur significationes, quae a diverso themate repetendae sunt. Eodem prorsus pacto cum Πρέσβις & Πρέσβυς in plurali numero adeo convenirent, ut una eademque vox esse videretur; liberum Etymologo, Hesychioque fuit sub unum τοῦ Πρέσβεις sonum diversas *Legati*, & *Senis* significationes cogere. Quam veterum Lexicographorum consuetudinem cum non advertissent Tusanus, Constantinus, Scapula, Schrevelius, aliique, utramque notionem cum

cum utroque vocabulo communicarunt, ſed ſine teſtibus, ac tabulis. Sed illuc unde abii, redeo: Πρέσβυς, & πρέσβις in pleriſque caſibus amice conſpirant; eſt tamen, ubi utraque vox, oborto veluti diſſidio, diverſas ineunt vias; exempli cauſſa in accuſativo Πρέσβις *Legatus* format πρέσβιν. Theophylactus Simoc. epiſt. 20. καὶ τὸν πρέσβιν ὡς ἀπαίσιον ἄγγελον ἀπεπέμψατο, *Legatum ut inauſpicatum nuntium remiſit*. At Πρέσβυς *Senex* habet in accuſativo Πρέσβυν per Υ. In Antolog. IV. cap. XXVII. n. 15. Πρέσβυν Ἀνακρείοντα, *Senem Anacreontem*. Ibid. lib. V. num. 108. πρέσβυν ἐν ἠϊθέοις, *Senem in juvenibus*. Eaque vox nec uſquam in notione *Legati* comparet; nec repertus eſt adhuc, qui πρέσβυν alicubi ſit *Legatum* interpretatus, ſi Martorellium excipias, qui nuperis quibuſdam lexicis plus aequo fidens, veterum ſcriptorum ſcrinia excutere neglexit. Utinam in nuperis lexicis carcinomata haec, & id genus alia ad rectam adoleſcentum inſtitutionem manu medica recidantur!

Ibid. In vetuſto marmore ſic ſcalpitur: ΠΡΕΣΒΥΝΕΙ. ΑΟΝΙΗΣ &c. Cur Martorellius tantum ſibi licere credidit, ut in recentiore marmore ΠΡΕΣΒΥΝ ΙΑΟΝΙΗΣ recuderet? Ergo τὸ Ε quo exſulavit? Enimvero vertiſſet Cl. Martorellius τὸν πρέσβυν, prout ei libitum fuiſſet; creaſſet Philippum *Legatum*, feciſſet *aedilem* (& quidem melius; Heſychio enim πρέσβυς eſt quoque Ἀγορανόμος, *aedilis*) modo a veteri ſcriptura, quam omnes ſartam tectam volunt, violentas manus abſtinuiſſet. Ceterum ſi errorem quadratarii in hoc loco cubare credidit, cur pro τῷ ΕΙ'

quam

quam minima mutatione ΕΠ non legit? Vel propius ad fidem marmoris ΕΤ' pro integro ἔτι, *ad haec*, *praeterea?* ut versus sic incederet: Πρέσβυν ἔτ' Αονίης ἐντέραμον σοφίης. Nam si Σοφία hic ea est, quae *Philosophia* dicitur, quid attinuit addere τὸ Ἰαονίης? An ut certior fieret populus, id curans scilicet, Philippum non ex secta Italica, sed Jonica prodiisse? Profecto ludibrium deberet auctor nostri epigrammatis, in id sedulus, quod in brevissimo praesertim carmine impune omitti poterat. Videsis inscriptionem graecam apud Reinesium in Appendic. omiss. num. 47. ubi quidam Oceanus laudatur πάσης ἐντέραμος σοφίης. An sedulo hic etiam inquirendum nobis est. ex qua secta prodierit Oceanus, Italica ne, an Jonica, an in utraque suum professus fuerit nomen? Ergo σοφία quidvis aliud in nostro marmore, quam *Philosophiam* notat. Hesychius: Σοφία πᾶσα τέχνη, καὶ ἐπιστήμη. *Quaevis ars, ac scientia* Σοφία *dicitur*. Calliope in *Antholog.* I. *in Poët.* dicitur invenisse Σοφίην, h. e. *artem* componendi carminis heroici. In quadam veteri inscriptione Nicomedis apud Octavium Falconerium εὐπάλαμος Σοφίη est *ars statuaria*. Quamobrem sicuti in *Antholog. II.* cap. 22. quidam Collignotus medicus dicitur Παιηωνίης πληθόμενος σοφίης, *Paeonica plenus arte*, h. e. *arte medica*, ducta nomenclatione a *Paeone* medico; sic in nostro epigrammate Ἀονίη σοφίη est *ars Poëtica*, mutuato nomine ab Aonia Baeotiae regione; unde ipsae Musae *Aonides* dictae sunt. Tralaticium porro est, atque apud Poëtas passim obtinet, ut artes vel ab auctoribus suis, vel

vel ab iis, qui ſupra ceteros in ſua quiſque profeſſione excelluerunt, cognomina ſibi pariant. Ars Medica, quam modo Παιωνίδα σοφίην vocatam in *Anthol.* vidimus, ibid. lib. IV. cap. 19. ποδαλειρίη τεχνη dicitur, utique a *Podalirio* Aeſculapii filio. Tireſias vates deſcribitur ab Ovidio in *Ibin* v. 264.

. . . . *Apollinea clarus in arte Senex*.

ubi *Ars Apollinea* eſt divinandi peritia, qua ſe vates ab *Apolline* donatum teſtatur apud Horatium II. Satyr. v. Ab Ovidio non longe abit ſententia pentametri noſtri epigrammatis; πρέσβυν ἔτ' Ἀονίης ἐντέραμον σοφίης; h. e. *Senem in Aonia quoque exercitatum arte*; ubi Ἀονίη σοφίη erit *Poëtice*, ſeu *ars Muſarum*, quibus Poëtae ſua carmina accepta referebant. Imo *Poëticen*, quam eleganter Syneſius σύνναον, h. e. *contubernalem* Philoſophiae facit, paſſim dictam eſſe Σοφίην pluribus, ſi id agerem, ſuadere poſſem; uſque adeo, ut Scholiaſtes Pindari ad Iſthm. Od. v. ſic commentetur: Σοφοὺς ἔλεγον τοὺς ποιητάς, *Poëtas vocabant Sapientes*: nimirum quod ii ſoli *ſapere* videbantur, ſi qui in arte poëtica rite verſarentur. Atque ea quidem in Poëtica Philippi commendatio impulit, opinor, Pontanum, ut vetuſtum hunc titulum inferret in ſuam aediculam; nempe ut uno ſub tecto degerent olim, quorum animos ſtudiorum conjunctione pares idem poëticae ſpiritus afflaverat. Fuit ſane Jovianus in veterum cultura nimius. Nam ut de brachio T. Livii Patavini, quod in ſuum ſacellum comportaſſe ipſe ſibi videbatur (condonanda autem iſthaec nimis facilis credulitas homini colligendis litteratorum

G re-

reliquiis incitatissimo) ut de eo, inquam, taceam, Alcibiadem, de quo ibidem prostat graeca inscriptio, in litteris humanioribus fuisse versatum, non levi bus indiciis suadere possem. Jamvero nostro epigrammati, de quo hactenus locuti sumus, inde majus irrogabitur pretium, quod nobis Antigonum Consulem reservavit. Antigonus, inquam, Consul fuit; non vero Philippus ejus pater; ut perperam quis ex Jano Grutero in Append. Magistr. p. MCXVIII. 8. & ex Caesare Capacio Antiquit. Neapol. cap. x. colligere posset: qui cum praeter cetera in eo peccant, quod ΥΠΑΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ pro ΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΕΡΑ, scribunt; tum uterque, Janus, quod dubitarit scripturam hujus epigrammatis esse *vix antiquam*, Caesar, quod Philippum Consulem Neapolitanorum fecerit, ingentes turbas cient. Meum autem hic non est, ut hasce lites pro dignitate componam; quidquid enim modo prolusi, id a me nonnisi animadversiones in Martorellianam interpretationem extorserunt. Quae quidem interpretatio cum mihi omnino non probetur, mei officii partes esse reor, novam ab inchoato recudere, huc repetita genuina marmoris lectione:

Τὸν πάσης ἀρετῆς φῶτα φίλιππον
 Πρέσβυν ἔτ' Α'ονίης ἐνπέραμον σοφίης.
Α'υσονίων ὑπάτου πατέρα κλυτὸν Α'ντιγόνοιο
 Θρέψε Μακηδονίη, δέξατο δ' Εἰταλίη.

Cunctarum virtutum heros hic ille Philippus
 Cultor; & aonia doctus in arte Senex;

Con-

Consulis ausonidum Antigoni pater inclytus; ortum
Aemathia huic, sedem praebuit Italia.

Vt φῶτα verterem *heroa*, fecit Homerus, qui Iliad. Δ. Machaonem vers. 194. φῶτα, mox vers. 200. ἥρωα salutat, tum maxime, quod ἐμφατικῶς dicatur, licet haud ignorem simpliciter usurpari aliquando pro *viro*, vel etiam homine, ut Callim. in Cer. v. 46.

. . . . κακὸν κ̀ ἀναιδέα φῶτα.

Macedonia in hoc epigrammate secundam producit; & recte quidem. Iis, quae Berkelius adnotat ad Stephanum in v. Μακεδονίη, adde duplex epigramma apud Pausaniam l. 13. & VII. 8. ubi *Macedonia* & *Macedones* secundam habent productam. Eandem & producit Callimachus hymno in Del. v. 167.

Ἵξεται οὐκ ἀέκουσα Μακηδόνι κοιρανέεσθαι.

In ultimo pentametro sic scalpitur in marmore litteris confertis: ΔΕΙΤΑΛΙΗ. Cl. Martorellius Δ' Ειταλίη legit. Factum non improbo. *Jota* enim longum saepissime cum diphthongo EI alternat. Ceterum potuisset impune legi Δειταλίη pro consueto Latinorum more, litteras adscribentium, quas in carminis dimensione Συνεκφώνησις suffuratur. Cujusmodi versus & ille Poëtae Odyss. Υ. 227.

Βουκόλ' ἐπεὶ οὔτε κακῷ, οὔτ' ἄφρονι φωτὶ ἔοικας.

 Ve-

Verum haec hactenus. Ad alterum graecum epigramma accedamus:

Marmor Vetus

ΕΝΘΑΔΕΤΗΝΙΕΡΑΝΚΕΦΑ
ΛΗΝΚΑΤΑΓΑΙΑΚΑΛΥΠΤΕΙ
ΑΝΔΩΝΗΡΩΩΝΚΟΣΜΙΤΟΡΑ (Sic)
ΘΕΙΟΝΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ
ΑΥΡΗΛ·ΑΤΑΛΑΝΤΗΙ
ΙΔΙΩΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΩΠΣΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΗΣΕΝ

Marmor Novum

ΕΝΘΑΔΕ ΤΗΝ ΙΕΡΑΝ ΚΕΦΑΛΗΝ ΚΑΤΑ ΓΑΙΑ ΚΑΛΥΠΤΕΙ,
ΑΝΔΡΩΝ ΗΡΩΩΝ ΚΟΣΜΗΤΟΡΑ ΘΕΙΟΝ,
ΑΛΚΕΙΒΙΑΔΗΝ.
ΑΥΡΕΛ·ΑΤΑΛΑΝΤΗ
ΙΔΙΩ ΠΑΤΡΩΝΙ
ΚΑΛΩΣ ΒΕΒΙΩΚΟΤΙ
ΕΠΟΙΗΣΕΝ.

PRAECLARI CAPITIS PIGNVS HIC TERRA RECONDIT
QVI FVIT HEROVM DVX, ET DECVS ALMVM,
ALCIBIADEM.
AVRELIA ATALANTA
PATRONO SVO
CVIVS VITA BENE ACTA EST
FECIT.

IAC. MARTORELLIVS LATINE VERTIT. PRIMI TRES VERSVS NOVO METRI GENERE CONCEPTI SVNT.

Hanc inscriptionem recitant Gruterus pag. MLXXXIX. 4. & Capacius Antiq. Neap. cap. XXII. num. X. Epigramma etsi erroribus scalptoris inquina-

natum, perſpicuitate tamen ſua mirifice ſe ſe commendat; niſi quod mihi ſalivam movit Cl. Martorellius in ſubſcriptione novi marmoris inquiens: *Primi tres verſus novo metri genere concepti ſunt*. Qui ſint *primi tres verſus* ex recenſione Martorellii, libeat hic propius intueri:

Ἐνθάδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον
Ἀλκειβιάδην.

In inſcriptionibus Gruteri, Reineſii, aliorumque occurrunt epigrammata, in quibus nec idem ordo ſemper ſibi conſtat, nec ſtructura eadem. In Auctore *mirabilium Auſcult.* legi hexaſticon, ubi ſingulis hexametris bini pentametri interſeruntur: at contra in Vita *L. Paul. Aemil.* epigramma Plutarchus profert, in quo pentameter unus cum tribus continuis hexametris copulatur. Apud Hephaeſtionem in *Enchiridio* (edit. Trajecti ad Rh. pag. 4.) Parthenius poëta elegiacus, cum *Archelaidi* in ſuo carmine elego locus eſſe non poſſet, callide hexametro jambum ſubjecit: eodem artificio uſus eſt *Ibid.* pag. 9. Critias poëta in nomine *Alcibiadis*. Recitatur apud eumdem Hephaeſtionem pag. 64. epigramma Simonidis, quod tres verſus non excedit; quorum primus hexameter eſt, quem excipit pentameter; tertius eſt jambus. Verſum jambum pro pentametro legere eſt apud Aringhum lib. IV. *Rom. Subter.* cap. 20. quem temere Reineſius Cl. XVII. Inſcript. 147. mutato nomine φι-

λησίη

λησίη cum τῷ φῆλιξ in pentametrum marte ſuo recudit. Verum in his exemplis, quae ſane plurima afferre poſſem, ſi quis *novum metri genus* ſe reperire dixerit, haud magnopere repugnaverim. Quidquid enim id eſt & quocumque nomine cenſeatur, recte *metrum* eſſe dicetur, quum metricis legibus contineatur.

At in noſtro *Alcibiadis* titulo, quid monſtri ſit hoc *novum metri genus* Martorellianum adhuc inveſtigare non potui. An dicemus poëtam hîc affectaſſe dithyrambicam audaciam, quae certam legem numerorum indignatur, an potius illum imitatum eſſe quorumdam antiquiorum in condendis inſcriptionibus liberam verſificandi licentiam? Et ſane apud Pauſaniam legi hos binos metricos titulos, lib. v. cap. xix.

Τυνδαρίδα Ἑλέναν φέρετον, Αἴθραν, δ' Ἀθέναθεν
Ἕλκετον.

& ibid. cap. xxvii.

Φόρμις ἀνέθηκεν
Ἀρκὰς Μαινάλιος, νῦν δὲ Συρακόσιος.

quorum primus in fine redundat, alter initio peccat. Itaque cum Pauſanias de hoc altero epigrammate ſcribat, *partem priorem* (ὀυ σὺν μέτρῳ) *eſſe ſine metro*; facile in hanc ſententiam deſcendi, auctorem noſtri epigrammatis, non conſulto, ſed negligentia id carminis effudiſſe, quod rectius ἄμετρον, quam ἔμμετρον cum

cum Martorellio, decantaveris. Atque haec opinio mihi videbatur satis probabilis; verebar tamen ut ceteris omnino satisfaceret. Dum in his eram, commode incidi in pulcherrimum epigramma, quod mihi ultra quaerendi finem fecit. Id epigramma sic habet:

Ενθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὲν κατὰ γαῖα καλύπτει
Α'νδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ο'μηρον.

Condit humus caput haec sacrum, qui versibus, arma
Fortia divinis heroum ornavit, Homerum.

Id elogium inscriptum fertur sepulcro Homeri in Insula *Io*, legiturque apud vetustissimum auctorem *De vita Homeri*, qui sub Herodoti nomine circumfertur; praeterea prostat in Anthologia lib. III. *in Poët.* 3. Quae cum ita sint; ecquis porro dubitare quiverit, quin auctor nostri epigrammatis, cum nihil e penore suo promere posset, quod pro dignitate scalperetur in marmore, ipsissimum Homeri epitaphium exscripserit? nisi quod pro Ο'μηρον inepte supposuit Α'λκειβιάδην, nihil pensi ducens, se in metricae artis canones offendere. Atque auctor is, qui ut plagiarius, atque alienorum laborum expilator traducendus erat, nostra hac aetate laudem consecutus est apud virum Graeca Latinaque litteratura cultissimum Jac. Martorellium, qui versus hos ex parte male consutos *novo metri genere* FVLGERE somniavit; & quod magis ridiculum est, ait in sua horum epigrammatum editione, *conceptos esse selectissimis ex Homero verbis*, eo

quod

quod Neapoli fuerit ſchola *Homericoneapolitana*; quam Neapoli fuiſſe umquam, utinam aliquando deſtertat! (1)

(1) Criticas haſce Animadverſiones Auctor edidit Romae typis Generoſi Salomoni 1760. eaſque ſequenti anno recudendas curavit Robertus de Sarno Oratorii Neapolitani presbyter in calce Commentarioli de Vita Joviani Pontani a ſe conſcripti, qui Neapoli prodiit. CASTALDIVS.

DE
INSCRIPTIONE GRAECA
HERACLEAE IN MAGNA GRAECIA
ANNO MDCCLXIII. REPERTA
SCHEDIASMA:

Litterata basis e marmore eruta hoc ipso anno MDCCLXIII. in latifundio PP. Societatis Jesu, cui vulgo nomen *Policoro*, ubi olim *Heraclea* (1) stetit, digna mihi visa est quae publici juris fieret. Sane sive characterum formam, sive voces ipsas, easque Dorici


H pe-

(1) Heracleam ibi stetisse, ubi nunc *Policoro* dicitur, V. Cl. Alexius Symmachus Mazochius, doctissimo in Tabulas Haracleenses Commentario (quod rectius Graecae eruditionis promptuarium appellaveris) pluribus ostendit pag. 111. Atque huic latifundio ex *campi amplitudine*, ad excipiendos Magnae Graeciae conventus, quos Heracleae coactos Strabo refert, necessariâ, *Polychori* nomen quaesitum, idem vir praestantissimus ingeniose, ut sua sunt omnia, suadet. Haec autem monuisse, nostrique marmoris natale solum indicasse, plurimum ad ejus Inscriptionis intelligentiam facit. Sunt enim in hac epigraphe vocabula, quae Cretensibus ac Laconibus peculiaria facit Hesychius: at nulla satis idonea hujusmodi commercii linguae inter populos a se longe dissitos afferri posset ratio; nisi sciretur, Heracleae, quae in coloniae supplementum accepit Tarentinos, marmor prodiisse: Tarentinam vero coloniam (ut copiose docuit Mazochius in laud. Comment.) Cretenses primum, ac porro Lacones frequentasse. Hinc utriusque populis eadem origo, & propemodum par utrobique loquendi consuetudo.

peculii ; ad haec miram brevitatem ſententiae ac ſimplicitatem, qui certi ſunt antiquitatis indices, contempleris ; profecto affirmaveris, celeberrimis Heracleenſibus aereis Tabulis marmor hoc noſtrum, ceteroqui breviſſimum, non aetate cedere, non vetuſta ſcribendi ratione, non Doriſmis, vocumque raritate : adeo paria utrobique ſunt omnia.

Et characteres quidem, ut inde incipiam, etſi a vulgari probataque forma omnino non recedant ; eſt tamen elementum unum atque alterum, quod niſi in vetuſtiſſimis Tarentinorum atque Heracleenſium monumentis fruſtra quaeſieris. Porro quis vocabulorum raritatem, quae in perbrevi epigrammate mira prorſus eſt, advertens, marmor ipſum ad Graecam linguam locupletandam benigniore fortuna reſervatum negaverit ? Jamvero mitto Doricae dialecti proprietates, quas etſi aliunde diſcere ſit, perjucundum tamen nobis eſt, eas in lapide noſtrate, qui olim in Magna Graecia ſcalptus Dorienſes noſtros veluti ſuo ore loquentes inducit, contemplari. Quamobrem gratiam a Graecarum litterarum aeſtimatoribus me initurum confido, ſi epigramma ad fidem marmoris expreſſum, ut mihi ab amiciſſimo viro oblatum eſt, exhibuero, paucis commentationibus, quae mihi inter ſcribendum obviam ſe dederunt, ad levandum properantis lectoris faſtidium, adjectis.

Verſ.



59.

Verſ. 1. HΣTIAIA. Vox Hστιαία aut Hστιαῖος nuſquam, quod equidem ſciam, compareat; praeterea, quod caput eſt, cum idoneâ etymologia careat, abſona eſt Graecis auribus. Contra Eʻστιαῖος aut (1)

H 2 Iʻστιαῖος,

(1) Iʻστιαῖος & Eʻστιαῖος ab uno fonte cadunt; niſi quod hoc Atticis, illud Doricis uſitatum. Iʻστίαιαν Homerum in Boeotia v. 44. memorat, quam tamen nonnulli codices Eʻστίαιαν exhibent. Stephanus Ethnic. utramque ſcripturam ſecutus eſt in enarranda *Hiſtiaea* urbe Euboeae. Primo enim Eʻστίαιαν recenſet, quam poſtea loco ſuo Iʻστίαιαν vocat. Jonibus hanc alteram ſcriptionem tribuit Ethnicographus; ſed & communem cum Doribus fuiſſe, teſtatur, praeter Etymologicum Magnum a Berkelio in ea voce laudatum, Euſtathius quoque pag. 1779. Edit. Rom. ἀπὸ τῆς ἑστίας δέ, γίνεται καὶ ἑστιᾶν... οἱ Δωριεῖς ἱστιᾶν λέγουσιν ἐν τῷ ἰῶτα, Firmat id Heſychius qui Iʻστία, interpretatur ἐσχάρα, *focus*. Sed & pro Jonica conſuetudine facit Herodotus, apud quem ἱστίη & ἱστιητόριον pro communi ἑστία & ἑστιατόριον legitur. Iʻστία cum tenui ſpiritu ab Heſychio, at cum aſpero ab Herodoto ſcribitur: nempe quod utroque modo efferebatur. Hinc derivata quoque vox Iστιεῖος in Tabb. Heracl. ſemel nullo afflante ſpiritu, bis cum ſpiritu aſpero ſignatur.

Ἱςιαῖος, & Ἱςιεῖος, vocabula tralaticia ſunt, utique ab radice Graeca per rectos analogiae canones derivata. Num oſcitantiae inſimulabimus quadratarium noſtrum, Ἡςιαία pro Ἑςιαία aut Ἱςιαία ſcalpentem? At mihi non fit veriſimile, ſcalptori noſtro, cetera diligentiſſimo, in breviſſimo epigrammate tam cito ſomnum obrepiſſe. Dicam ergo quid ſentiam. Tarentinis eorumque colonis Heracleenſibus nomina Ἱςιεῖος, & Ἱςιαῖος uſurpata fuerunt. De Heracleenſibus fidem faciunt Tabulae illae aeneae, de quibus paulo ante dixi, ubi verſ. *6.* Ιςιειος, & verſ. *9.* ⊢Ιςιειος, ſpiritu aſpero praepoſito legas. De Tarentinis, praeter *Heſtiaeum* Archytae patrem, teſtantur eorum nummi, in quibus aut ⊢ΙΣ aut ⊢ΙΣΤΙΑΡ legitur. Quid ergo nominis quadratarius in noſtro marmore ſcalpſerit, vel me tacente, quivis intelliget; nimirum ⊢ΙΣΤΙΑΙΑ, nomen Heracleenſibus ſuis familiare. At forte deſcriptor, quod ſpiritus ⊢ & littera Ι ita adhaererent ſimul, ut Η ementirentur, ΗΣΤΙΑΙΑ obtruſit; niſi quis id ipſi ſcalptori vitio verterit, qui fallente ſcalpro unum elementum alteri applicuerit. Ceterum idem peccavit Mayerus in ſua deſcriptione nummorum Regni Neapolit. ubi pro ⊢ΙΣ in nummo Tarentinorum, ΗΣ praeter verum refinxit (1).

Ex

(1) Mazochius, quem ſupra laudavi, ſed quem pro dignitate laudare deſperem, eo nomine Mayerum caſtigat Comment. in Tabb. Heracl. p. 113. n. III. quo loco multa ſcitu digna diſſerit de ſpiritu (⊢) aſpero: quae ſi jungas cum iis quae ſparsim toto opere ac praeſer-

Ex elemento Ⱶ, quod non infeliciter, ut auguror, in epigraphe noſtra deprehendi; licet etiam marmoris aetatem conjicere. Nam ubi deſunt certae temporis notae, ſolet criticorum natio ad characterum for-

ſertim pag. 126. illevit, abſolutam eo de elemento, in Tabulis Heracl. & in nummis Tarentinorum obvio, tractationem habebis. De novo altero Tabularum Heracleenſium elemento (⊏) *Bau*, ut obiter dicam, praeter illa ab eodem praeclariſſimo viro copioſe pro more ſuo ediſſerta pag. 128. facit eodem elegans numiſma argenteum penes Excell. Joannem Carafam, Ducem Nojae, eruditione non vulgari praeſtantem; cujus locupletiſſima ex auro, argento, aere numiſmatum Regni Neapolitani maximam partem Graeci oris collectio utinam tandem publici juris fiat. Amplius enim duodecim millia nummorum, ut ejus cetera antiquitatis cimelia taceam, in ejus forulis deliteſcunt; qui si vulgentur olim, quantum inde in ethnicam theologiam, in urbium Graecarum colonias, in Graeciſmum Italicum luminis affundi queat? Ergo nummus argenteus, de quo loquor, ex una parte adoleſcentem delphino inequitantem exhibet, cum inſcriptione hinc ΤΑΡΑΣ & hinc ⊏ΑΣ. ex altera adoleſcentem equo vehentem cum inſcriptione duobus verſibus digeſta ΑΡΕ-ΘΩΝ. Sed & idem Dux humaniſſimus contemplandum mihi ſaepius obtulit nummum argenteum *Veliae*, plane singularem; cujus ectypa forma utriuſque partis ſatis obvia eſt in nummis urbis hujus, ſed inſcriptio pro conſueto ΥΕΛΗ, dextra ſiniſtrorſum vetuſto more progrediens exhibet ƎIΛƎ⊐. Interpretem hujus eximiae raritatis nummi ſe gerit Servius ad VII. Aen. v. 366. ſcribens: *Velia . . . fuit* (olim) *Helia. Sed accepit* δίγαμμον, v ſcilicet conſonans; *& facta Velia*. Verum haec obiter. Illud ſerio dolendum eſt, quod Excell. Dux singularis hujus numiſmatis, forte Marrucino aliquo Catulliano contrectante, jacturam fecit. Is, qua morum facilitate eſt, nullum criminatur, nec gypſatas cujuſquam manus incuſat; ſed rerum patriarum amatores impenſe flagitat, ut, quemadmodum cum ſervis fugitivis olim agebatur, sic rem mancipi ſui, alio abactam, quocumque modo ſibi domino revocent. Utinam optatis ejus fortuna reſpondeat!

formam, quae varia pro varia aetate fuit; confugere. Cum autem & in Heracl. Tabulis aereis, & in nostro marmore par scriptura procedat, ac praecipue *spiritus asperi* & τοῦ *sigma* insolentia utrobique lectorum oculos in admirationem sui rapiat; profecto patet, utrumque monumentum, eodem sub caelo natum, ad eamdem aetatem pertinere. Illas autem aereas tabulas trecentesimo plus minus ante Christum anno Cl. V. Mazochius in earum commentario locupletissimo pag. 133. scalptas, rationibus prope necessariis evicit; parem ergo aut supparem aetatem nostro marmori tribuemus.

Vers. 2. ΑΥΤΑΥΤΑΣ. Vox ignota lexicis; quae tamen teste hac marmorea tabula, accuratissime scalpta, in Graecum censum jure merito referenda est. Αὐταυτὸς q. d. *ipse ipse* per duplicationem τοῦ αὐτὸς factum est. Hujus autem vocis, ut ajebam, desunt in scriptoribus exempla, nisi quod videtur Hesychius diligentissimus veterum glossarum promus condus id vocabulum non praeteriisse: de quo infra (1). At bene

(1) Hesychius: Αὖς αὐτός. Κρῆτες καί Λάκωνες. Equidem puto lexicographum scripsisse: Αὐταυτὸς, αὐτὸς. Κρ. &c. Αὐταυτὸς *dialecto Cretensi ac Laconica est* Ipse. Ut autem sic depravaretur locus, fecit oscitantia scribarum, qui non raro in describendo praetermittebant vocem, quae cum desinentia praecedentis vocis omnino congrueret. Ea de re notior est criticorum querela, quam ut exemplis afferendis immoremur. Itaque Hesychianum Αὐταυτὸς. αὐτός, primum in Αὐταυτός curtatum est: deinde ita bifariam divisum, ut pars posterior αὐτὸς videretur pro more esse interpretamentum praecedentis αυς, cujus adhuc exempla desideramus: nec enim Sopingium moror, Αυς αυτος

bene eſt, quod hanc vocem lapis apud Donium Claſ. I. 37. reſervarit, qui lapis ejuſdem argumenti, ac Heracleenſe marmor eſt; ac pariter Dorica dialecto procedit:

ΑΡΧΟΝΙΚΑ ΖΑΥΛΩ
ΚΑΙ ΑΕΣΣΑ ΑΝΑΖΩΣΑ
ΑΡΤΕΜΙΔΙ ΕΥΑΚΩΙ cor. ευ ακόῳ
ΕΥΞΑΜΕΝΑ ΥΠΕΡ
ΑΥΣΑΥΤΑΣ ΕΥΧΑΝ

ubi εὐξαμένα ὑπὲρ αὐσαυτᾶς (corrige αὐταυτᾶς) εὐχὰν, eſt, *ſuſcepto pro ſe ipſa voto*. Cetera epigrammatis hujus in ſubjecta (1) adnotatione explicuimus. Sed

αυτος positum pro ὡ'ς ὡ'τὸς opinantem. Nisi quis vocabulorum ſerie (quae ceteroqui non ſemper in Heſychio ad amuſſim procedit) ductus mallet, Cretenſes pro αὐταυτὸς dixiſſe αὐσαυτὸς: praeſertim cum in lapide Doniano αὐσαυτὸς quoque legatur. Sed utrobique, noſtro marmore ſuffragante, malim αὐταυτὸς reſtituere.

(1) De Dorica hac inſcriptione non bene meriti ſunt Muratorius, Cl. XXXV. 3. Philippus d'Orvilius in Charit. p. 168. & neſcio quis alius; etſi ad eam interpretandam quiſque ſuam contulerint ſymbolam. Tres non minus puellas hîc designari velut ex composito autumant, quae ipsis nomenclatoribus *Archonica*, *Zaulo* & *Aeſſa* indigitantur. At τὸ αναζωσα, ευξαμενα, υπερ αυταυτας (quae singularis numeri explorata ſunt indicia) ſaltem admonere debuiſſet, ſolam *Archonicam Zauli* (Ζαυλω Dorice pro Ζαυλου quod & Gorius animadvertit) *filiam* votum pro ſalute ſua ſuſcepiſſe. Τὸ ΚΑΙ ΑΕΣΣΑ vero, vel in ΑΕΣΣΑΣ corrigendum, quod nomen matris Archonicae fuerit, vel quod vero similius puto, in ΚΑΜΕΣΣΑ, leviſſima mutatione, refingendum: quae vox apposite ab ſcalptore addita fuit, ut directe τῷ ΑΝΑΖΩΣΑ opponeretur. Καμέσσα enim Dorice pro Καμοῦσα (ut ἔσσα Archyt. apud Stob. Ecl. p. 82. Edit. Aurel. Allobr. 1609. pro οὖσα) *aegram*, *aegrotam*, quin & *mortuam* designat. Videatur Heſychius in καμεῖν. Itaque τὸ καμέσσα ἀνάζωσα

Sed & eamdem inſcriptionem exhibet Graecae linguae callentiſſimus Philippus D'Orvillius in Charitone pag. 168. verum de vocis, quam commentamur, ſignificatu pene animi dubius apparet: Nam primo ΕΑΥΤΑΝ vel ΕΑΥΤΑΙΝ legi poſſe monet; mox controverſum vocabulum in duas partes diſſecuit. Sic enim inquit: *Editur αυτ' αυτας* (1) *. forte duae vel tres puerperae ſimul voverunt dualis autem pro plurali non plane extra uſum*. At vocem hanc Belga doctiſſimus non ſollicitaſſet, ſi marmor noſtrum ei innotuiſſet; ubi τὸ ΠΡΟ ΑΥΤΑΥΤΑΣ, *pro ſe ipſa*, plane gemellum eſt τῷ ΥΠΕΡ ΑΥΤΑΥΤΑΣ Doniani marmoris. Quod autem utriuſque elogii ſcalptores maluerint αὐταυτᾶς quam ἑαυτᾶς exarare, id maxime ad aſſerendam utrique marmori antiquitatem (2) valet.

Ergo

ζωσα fuerit *prope mortua ad vitam revocata*: quod utrumque inculcare viſum Archonicae fuerit, ut & periculi, unde erepta, & beneficii (quod ab exorato Dianae numine impetrarat,) magnitudinem luculentius teſtaretur.

(1) D'Orvillius, & ille alius qui ex D'Orvillio profecit, in editione Donii ſibi videre αυταυτας viſi ſunt: quod ceteroqui probum eſſet. Sed tum Gorius, qui primus Donii inſcriptiones edidit, tum Muratorius in Novo Theſaur. αυσαυτας exhibent. Ceterum quid ea de voce ſentiendum, dixi in adnot. pag. 62.

(2) Nam Homerus, antiquiſſimus linguae Graecae ſcriptor, idemque canon certiſſimus composita ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ, ἑαυτοῦ, ſemper abhorruit; at pro iis vel ἐμὲ αὐτὸν, σὲ αὐτὸν, ἑ αὐτὸν, vel simpliciter αὐτὸν, omiſſo altero pronomine, uſurpavit; ut obſervat Athenaeus IV. 27, & ibi Caſaubonus. Conſulatur & Euſtathius init. Odyſſ. IV. pag. 1480. ubi latius de natura horum pronominum diſſerit.

Ergo vocabulum αὐταυτὸς, *ipse ipse*, ad emphasim exprimendam satis aptum, Doriensibus nostris fuisse usurpatum, nostri Donianique epigrammatis auctoritas ostendit. Sed & eamdem vocem fuisse in promiscuo usu Graecanico, ejusdem vocis Latina Plauti interpretatio suadet. Qui Comicus in effingendis vocabulis latinis satis audax quidem fuit; sed ita tamen ut plerumque Graecos vel habuerit auctores, vel imitandos sibi proposuerit. Et ne longius hinc abeamus: is primus latinorum τὸ *Ipsissimus* in scenam produxit: nimirum imitatione Graecorum, quibus in usu erat αὐτότατος. Atqui eidem Comico vocem αὐταυτὸς innotuisse, satis indicat τὸ *Ipsipsus* a se noviter effictum. Nam Cistell. II. 3. 58. ubi vulgo legitur: *Is ipsus est*, Taubmannus notat in Cod. MS. Lang. legi, *Ipsipsus est*; eamque lectionem Meursio, ac Popmae probari. Eamdem vocem restituere Trucul. I. 2. 23. Camerarius conatus est. Sed & par medela corruptis Festi (1) ac Philoxeni locis afferri potest.

Vers. 2. ΑΦΡΟΔΙΤΙΑΣ. Novum derivatum, & quidem rectius, quam Ἀφροδισία. Nam ex Ἀφροδίτη, *Venus*, proniore alveo Ἀφροδιτία fluit, quam

 Ἀφρο-

(1) Ubi in Festo legitur *Ipsipe*, corrigerem *ipsipsi*, sicuti Dacerio quoque visum; nisi impensius placeret *Ipsipte*; ut Cato *mihipte* posuit pro *mihi ipsi*. Sed nemo mihi eripiet, quin apud Philoxenum, ut a Labbaeo editur, *fosipse*, αὐτὸς. Graeca ac Latina vox corrupta sit. Scaliger legebat *Ipsipe*, ut vitiose in Festo legitur. Vulcanius malebat *Is ipse*. Sed ex iis quae de Plautino *Ipsipsus*, deque αὐταυτὸς disseruimus patet ibi legendum: *Ipsipse*, αὐταυτὸς.

Ἀφροδισία; etsi hoc alterum usu communi probatur, illud Doriensibus Italicis, teste hoc marmore, adscribemus. Ceterum mutatio litterae Σ in T communis cum omnibus fuit, qui sub dialecto Dorica censentur. Philistus Ἀρτεμίτιον, urbem Oenotriae vocat, quam Stephanus Ethn. Ἀρτεμίσιον appellat; illamque alteram nomenclationem Doricae proprietati tribuit. Dorice quoque Lacones loquebantur. Et sane Laco quidam apud Aristophanem Lysistr. v. 1253. Ἀρταμίτιον *Artemisium Euboeae*, pro Ἀρτεμίσιον vocat. Quid quod Ἀφροδίτια oppidum Laconiae apud Stephanum occurrit, quod eidem Ethnicographo paullo ante Ἀφροδίσια dicitur? Videatur ibi Berkelius, merito Meursii correctioni non acquiescens.

Plurima *Aphrodisiae*, hoc est, *Veneriae*, mentio est in graecis inscriptionibus; nec tamen a latinis abest. Gruterus. MXLII. 8. *Helvia Veneria* *Petronio Aphrodisio*. Reinesius XII. 66. *Orbiae Aphrodisiae* . . . *Orbius Venerius*. Quas inscriptiones attuli eo consilio, tum ut noscatur, quo pacto graecum Ἀφροδιτίας nomen latini verterint, tum ut obiter notetur, filios interdum gessisse nomina parentum, paullulum quidem deflexa, sed idem significantia; ut in his lapidibus mater *Aphrodisia*, filius *Venerius*, & contra. Cujusmodi exempla passim (1) occurrunt.

Vers.

(1) Sic pater Suetonii *Tranquilli* fuisse Suetonius *Lenis* perhibetur. Papinii Statii *Violantillam* Martialis, latinam vocem cum Graeca commutans, *Ianthidem* vocat. Graeca urbium nomina *Athenaeum*, *Posidoniam*, *Heliopolim &c.* Latini interpretando fecerunt *Miner-*

Verſ. 4. ΔΟΡΚΑΣ. Novae ambages reſtant, nec expeditu faciles. Nam quo minus putem τὸ Δορκας eſſe cognomen *Hiſtiaeae*, facit immanis hiatus vaſtitas, qua cognomen a nomine ſuo longius diſſociaretur. Nec vocabulum illud *Aphroditiae* decentius aptatur; etenim quo ad vetuſtiora tempora itur, eo rariora cognomina, atque adeo nulla, comparent. Praeterea, ſi ea voce proprium mulieris nomen notaretur; illud vel maxime incommodaret, quod alioqui quid Hiſtiaea pro ſe, ac pro Aphroditia dedicaſſet, foret in obſcuro poſitum; nam divinare cui Numini ea dedicatio facta ſit, omnino (1) deſperandum. Illud vero exploratum eſſe cenſeo, quod notio Δόρκος, *capreae*, quae prima omnium in oculos incurrit, omnium minime hîc locum habeat. Quis enim *capreas* de-

nervium, *Neptuniam*, *Solis urbem.* Eodem pacto Graeci ſe geſſerunt in tranſnominandis ſermone patrio Orientalibus urbium vocabulis. Praeclara ſunt in hanc partem inventa Mazochii, in Orientis linguis exercitatiſſimi, qui in Tyrrhenicis originibus, in Tabulis Heracl. in Spicilegio Biblico, atque alibi, plurima Orientalia urbium nomina Graecanicis aequipollere oſtendit. Appoſite ad hanc ſententiam pertinet vetus ac recens urbis Caricae nomen, idem per interpretationem ſignificans, apud Stephanum; cujus locum eo libentius affero, ut medicinam hactenus, quod equidem ſciam, intentatam faciam Ethnicographo: ΚΥΟΝ .. *Cariae urbs* *antea* ΚΑΝΕΒΙΟΝ *vocata*. Ubi ΚΑΛΕΒΙΟΝ legendum, ut ſit interpretatio τοῦ ΚΥΟΝ. Hebraice enim כלב (*Caleb*), unde Καλέβιον, notat *canem*, qui Graece dicitur Κύων, a quo recentius urbi Caricae nomen.

(1) Ex Heracleenſibus aereis tabulis aliqua, ceteroqui leviſſima, conjectura capi poſſet. Illarum enim una campi, Baccho ſacri, metationem continet; altera Minervae. Horum autem alterutri aut utrique Hiſtiaeam epigraphen poſuiſſe quis divinaverit?

dedicavit, ac porro, ne olim efflueret memoria, rem titulo marmoreo consignavit? Equidem nihil magis vellem, quam ut ostendi posset, *δόρκας* non re vera *capreas* designare, sed vasa *caprearum* (1) imaginem referentia, quae *Histiaea* dedicaverit (2). Verum donec aliunde prodeat auctoritas, quae de nova hac notione testetur, ab ea conjectura promovenda temperabo.

Hesychius hac me qualicumque indagine facili negotio expedivisset, si locus ejus non esset depravatus: ΔΟΡΚΑΙ, inquit, ΚΟΝΙΔΕΣ, i. e. *lendes*. Tuetur hanc interpretationem Sopingius, putatque *δόρκας* Hesychii convenire cum Eustathii *δίρκοις*, quod est quoddam insecti genus. At quis persuaserit sibi, rem adeo sordidam ab *Histiaea* consecratam? Itaque, vel monitore hoc nostro marmore, patet in Hesychio men-

(1) Vasa interdum, qua parte acuuntur, speciem quamdam animalis exhibent. Vidi duo thyria fictilia in Museo Ducis Nojae, quorum unum in caput *equi*, alterum in *apri* desinit. Sed & hujusmodi vasa gessisse quoque nomina animalium, quorum utcumque referebant imaginem, explorata res est. Athenaeus XI. 13. plura istiusmodi dabit exempla, apud quem Ἐλέφας, *elephas*; Γρὺψ, *gryphus*; Πήγασος, *Pegasus*; Τραγέλαφος, *hircicervus*, sunt totidem vasorum nomina. Quidni & Δὸρξ aut Δορκὰς *caprea*, vas id genus fuerit?

(2) Hujusmodi donaria passim dedicata, docent antiqui lapides. Grut. pag. V. 6. Antonia Aphrodisia *Scyphos*, pag. XVI. 12. Tettius Hermes *cantharum*, pag. XLVIII. 1. Curtius Abascantus *Crateram* suis quisque Numinibus consecrant. Exstat apud Excel. Ducem Nojae columella marmorea, in qua scalpitur, Aquilinus Crescens dicasse σκύφον de quo lapide nostrate dicam alias. Athenaeus XI. 13. pulcherrimum Hedyli epigramma recitat, quo Ῥύτον, vas instat cornu, in templo Arsinoes dedicatum describitur.

mendum cubare. Meminit quoque huius vocis Conſtantinus de Adm. Imp. cap. 51. ſed ita ut δόρκαι (1) ad rem militarem ſpectare videantur. Utcumque ibi ſe res habeat; certe Δόρκαι Conſtantini nihil cum Heſychii δόρκαις commune habent; ac porro neutris apte reſpondent κόνιδες; quam ut vocem tamquam aequipollentem, hodierna Heſychii editio exhibet. Ergo ulcus in voce Κόνιδες latet, quod nonniſi manu medica tractandum eſt.

Cl. Vir Hemſterhuſius rem feliciſſime confecit, κόνιδες in κιόνιδες corrigens, & vocem Κρῆτες ex ſequenti Heſychii articulo in antecedentem retrahens, luxatum antea & corruptum Lexicographi locum ita reſtituit. ΔΟΡΚΑΙ, κιόνιδες. Κρῆτες. Cui quidem correctioni Cl. Albertus acquieviſſe videtur in ſua Heſychii editione, qua nihil magis elegans, aut accuratius quidquam vidi; is enim eo loco Hemſterhuſium ab ingenio breviter quidem commendat, ſed ita tamen, ut ſuam, quam porro veluti παρέργως adducit,

(1) Conſtantinus inter cetera arma militi navali data recenſet ΔΟΡΚΑΣ· Meurſius, ut qui δόρκας vertit *pelles*, δόρας legiſſe videtur; ut recte monuit Du-Cangius in ea voce; qui tamen ipſe *Caſſides* hîc interpretatus a vero aberravit, in Heſychio pro Κόνιδες audaci ac immani conjectura in Κωνοειδὲς commutans. Equidem vel pro δόρκας cum Meurſio δόρας legerem, vel putarem, δόρκας aevo medio idem fuiſſe ac δορκαλίδες, quas H. Stephanus in Appendice interpretatur *Uncinos e cornibus dorcadum* h. e. caprearum. Etſi rectius, me judice, dixiſſet, haſtas ferreo unco, cornua dorcadum referente, praefixas: cujuſmodi harpagonum in armamentis navalibus, de quibus loquitur Conſtantinus, plurimus erat uſus. Nam Latini quoque, ferramenti genus, quod *caprearum* cornua referebat, *Capreolum* dixerunt;

cit, prae illius emendatione floccifacere ostendat. Ergo *Δορκαι* dialecto Cretensi sunt *Κιόνιδες* . i. e. *columellae* . Apposite, mea quidem sententia; nam Etymologus Magnus, ut itidem Hemsterhusius animadvertit, Cretenses quoque ΔΟΡΑΝ pro *δοκὸν* dixisse notat; pro affinitate scilicet & convenientia, quae *κίονι columnae*, cum *δοκῷ trabe* intercedit. Ac verisimile mihi videtur, columnas olim nonnisi e ligno (1) structas fuisse, utpote materia facile parabili; architectos porro, arte naturam imitante, columnas ad trabium, quarum loco succedebant, imaginem, marmoreas paravisse. Mansit tamen vetus tibicinum nomenclatio, ita ut *δοκοὶ* quoque dicerentur columnae lapideae (2); eoque postea res evasit, ut *δοκὸς* & *κίων* tamquam synonyma haberentur. Maximum huic conjecturae pondus accedet, si Pausanias & Clemens Alexan-

(1) Probat id columna *lignea* Oenomai, quae cum domus fulmine conflagrasset, sola exitium evasit: hanc vinculis ferreis constrictam in aede Jovis se vidisse refert Pausanias V. 20. Idem auctor VI. 24. describit peculiarem in foro Eleorum formam vetusti templi, cujus tectum fulciebant (*δρυὸς εἰργασμένοι κίονες*) *dolatae e quercu columnae*.

(2) Hujusmodi catachreseos infinita propemodum sunt exempla. Πλίνθος, figlinae vox peculiaris, dicitur quoque de massa auri, plumbi &c. in lateres digesta. Quodcumque vas usui mensae deputatum, quia olim fictile, *κέραμος* dicitur: attamen ita quoque Athenaeo vocatur, etiamsi ex auro, aut argento fuerit. Consulatur Casaubonus ad Athen. V 3. Equus Trojanus, quia e robore artefactus *δούριος* Graecis dictus, & *durateus* Lucretio; Pausanias tamen atque Hesychius *δούριον ἵππον* Athenis *χαλκοῦν* (*aereum*) stetisse ajunt. Sed ne longius ab instituto peregrinemur; τὸ Κίων, & *κίονις* notandis tibicinibus nata vocabula, ad gurgulionem medici traduxere, qualemcumque teretis corporis figuram secuti.

xandrinus cum Plutarcho conferantur; ac porro si mira Latinorum cum Graecis in ea re consensio libretur.

Ordior a Pausania, qui III. 20. inquit: Κίονες δὲ ἑπτὰ &c. *Pilae septem priscorum, opinor, ritu erectae, quas errantium stellarum* (ἀγάλματα) *signa esse aiunt*. Antiquorum consuetudo, ad quam Pausanias intendit digitum, cujusmodi fuerit, luculentius a Clemente aperitur; qui Strom. p. 348. ubi admonuisset, statuas olim in usu non fuisse, utique ob artis ignorationem, ita pergit: Κίονας ἱστάντες ἔσεβον τούτους, ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. *Erectas a se columnas, tamquam Dei simulacra, colebant*. In cujus rei exemplum, meminit Bacchi Thebani, Iunonis Argivae, ac Apollinis Delphici, quos sub Κίονος, *columnae*, effigie cultos fuisse ait. Columnas autem cum audis, cave putes, eas ad exquisitas architectonicae rationes exactas fuisse; sed quaecumque propemodum ligna se forte dabant obviam, ea loco simulacrorum erecta dedicabantur (1). Sane hujusmodi fuisse simulacra Dioscurorum apud Spartanos, testatur Plutarchus in *de fraterno amore* in init. Τὰ παλαιὰ τῶν Διοσκούρων ἀφιδρύματα οἱ Σπαρτιᾶται ΔΟΚΑΝΑ καλοῦσι· ἔστι δὲ

(1) Enimvero quos Clemens l. c. κίονας vocat, eidem in Protrept. pag. 30. ξύλα περιφανῆ, *ligna conspicua*; Eusebio Praep. Evang. I. 9. ῥάβδοι, *virgae*; Maximo Tyrio Serm. XVXVIII. αὐτοφυὲς πρέμνον, *truncus sponte naturae proveniens*, dicuntur. Qui postremus, etsi de rusticis pressius agit; tamen quoniam hi veteris simplicitatis sunt ceteris, uti fit, tenaciores; quid olim factitatum fuerit, exemplo rusticorum aperit.

δὲ δύο ξύλα παράλληλα δυσὶ πλαγίοις ἐπεζευγμένα: *Vetusta Castorum simulacra Spartani* Docana *appellant. Sunt autem duo* (1) *ligna aequaliter invicem distantia, duobus aliis transversis conjuncta.* Itaque ex hoc Chaeronensis loco apparet κίονας, quos Clemens pro statuis erexisse veteres refert, ligneae ac plerumque teretis fuisse materiae; cujusmodi maxime sunt δοκοὶ, *trabes*; τὰ δόκανα certe Spartanorum vox derivativa est ἀπὸ τῆς δοκοῦ (2). Ex quo puto factum, ut tibicines ad firmandum ac fulciendum olim ex vero dicti δοκοὶ, quia lignei; etiam cum e firmiore materia ornabantur, sub inveterata τῶν δοκῶν appellatione venirent (3). Quemadmodum Latinis *trabes* quoque dictae, etiamsi e metallo fusae; ut *argenteae trabes* Plinio XXXIII. 15. Sed & insignis est alius Plinii locus XXXVI. 8. *Trabes ex eo* (lapide Syenite) *fecere reges quodam certamine*: *obeliscos vocantes*, *Solis numini sacratos*. Vides obeliscos, immanis ac stupendae structurae miracula, vulgarem *trabis* appellationem non dedignatos; quid porro mirum, si Cretenses pro columnis designandis δόρκας usurparint; quae quidem

(1) Obiter hic moneo, quod ab aliis quoque animadversum video, astronomicam notam ♊, qua Gemini signantur, cum descriptione τῶν δοκάνων omnino congruere; ut verisimile videatur, hoc sidus caeleste ad effigiem Laconici Castorum simulacri fuisse ab astronomis expressum.

(2) Suidas perperam δέκανα arcessit ἀπὸ τοῦ δέξασθαι. Rectius ἀπὸ τῆς δοκοῦ derivat Eustathius, ut ad Suidam monuit Kusterus; quem tamen latuit Hesychius, antiquior Eustathio grammaticus, ἂν δοκάνας interpretatus δοκοὺς δέ.

(3) Vide adnot. ubi nonnulla exempla huc facientia attigimus.

dem vox, ut mihi videtur, vel e δοκός, vel e δόρα (quod utrumque *trabis* eſt vocabulum) ad Cretenſis dialecti ingenium interpolata fuerit. Atque haec dicta ſufficiant ad illuſtrandam Heſychii τῶν δορκῶν notionem pariter, ac firmandam Hemſterhuſii correctionem δόρκας interpretantis κιόνιδας h. e. *columellas*. Itaque, donec meliora aliunde promantur; licebit in noſtro marmore δόρκας vertere *columellas*, vel, diminutivo alternante cum primitivo, *columnas*.

Verſ. 5. ΑΝΕΘΗΚΕ. Verbum ἀνατίθημι, etſi preſſius aptatur iis donariis, quae templi poſtibus, parietibus, tholo ſuſpendebantur; latius tamen reſpondet τῷ *dedicare* Latinorum; ita ut quaecumque religionis cauſa Deorum cultui ſeponebantur, etiamſi luci ſint, montes, urbes &c., recte ἀνατίθεσθαι dicantur. Epheſii a Croeſo obſeſſi (ἀνέθεσαν τὴν πόλιν) *urbem dedicarunt* Dianae (1); & ad ſervanda, opinor, ritualia dedicationum praeſcripta, *funem ex ejus aede ad murum alligarunt*, teſte Herodoto I. 26. Sextus Pompejus Primitivus apud Gruterum p. LXXXV. 3. voto ſuſcepto pro ſalute M. Aurel. Antonini Imper. *columnas cum epiſtylio* exornaſſe Serapidi perhibetur. Sed propius ad rem noſtram facit inſcriptio Columnarum Farneſianarum, quae ab Herode Attico quidem

K ſcal-

(1) Huc pertinet luculentiſſimus Velleij Paterculi locus. *Poſt victoriam qua deſcendens montem Tifata cum Cajo Norbano concurrerat Sulla, grateis Dianae*, CVIVS NVMINI REGIO ILLA SACRATA ERAT, *ſolvit*. (lib. II. §. XXV.) CASTALDIVS.

ſcalptae; ſed ad antiquitatis (1) ſpecimen vetuſtiſſimâ characterum formâ exaratae ſunt: in utraque columna ſic in fine eodem exemplo legitur apud Grut. XXVII. 1. HOI ΚΙΟΝΕΣ ΔΕΜΕΤΡΟΣ ΚΑΙ ΚΟΡΕΣ ΑΝΑΘΕΜΑ, h. e. *οἱ κίονες Δήμητρος καὶ Κόρης ἀνάθημα*. Ubi vides Herodem *columnas* poſuiſſe *ἀνάθημα* Cereri ac Proſerpinae h. e. dedicaſſe. Eâdem nempe ſententia ac in noſtro marmore ΔΟΡΚΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕ, *Columnas* (quae, ut ſupra ex Heſychio oſtendimus, *δόρκαι* ſermone Cretenſi dicebantur) *dedicavit*.

Sed libeat tandem noſtri marmoris epigraphen, cujus partes ſingulas jam enucleavimus, integram exhibere, ejuſque interpretationem, veluti cauſa perorata, recitare. ⊢ΙΣΤΙΑΙΑ ΠΡΟ ΑΥΤΑΥΤΑΣ ΚΑΙ ΤΑΣ ΑΦΡΟΔΙΤΙΑΣ ΔΟΡΚΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕ. *Hiſtiaea pro ſe ipſa & Aphroditia columnas dedicavit*.

Re-

(1) Ita ſane ſentiunt eruditi viri. Contra Scaliger contendit, eam characterum formam ad M. Antonini tempora perduraſſe. Quid hîc diffindam, haud habeo dicere: niſi quod pro Scaligero facere mihi videtur inſcriptio graeca, litteris rubris depicta in pariete ſepulcreti, (quod in lapide tophaceo, miro artificio excifum eſt) Neapoli in aede PP. Miſſionis anno MDCCLIX. detecti. Epigraphe, ut ex elegantia ſcripturae poteſt argui, ad Antoninorum aetatem pertinet: characteres vero ipſi ita depicti, quales in veterrimis monumentis exſtant. Haec inſcriptio cum ipſo pariete, mota loco ſuo, hodie in Muſeo Herculanenſi viſitur; ſed paucis quibuſdam elementis ex intertrimento deperditis, & fugiente in dies littera. At bene eſt, quod eam, ſimul ac in auras prodiit, litteraeque adhuc ruberent, ſchedis exceperim meis; quae alias loco opportuniore dabitur.

Reſtat illud, ut exteros eruditos viros moneam, *Columnas* quarum paulo ante memini, *Farneſianas* vulgo dictas, quod Romae in hortis Farneſianis ſervabantur; nuper juſſu Regis Noſtri Clementiſſimi Neapolim traductas in Muſei Herculanenſis atrio proſtare.

ECTYPON INSCRIPTIONIS VETERI CRVCI SCVLPTAE

1. ΟΕΒαΓΓΕαΗΜΟϹ 2. ΗΓΕΡΗϹΗΤȢΧϹ 3. ΗΠαΠαΠΗσ 4. ΗϹαΓΗΦΟΡΟϹ

5. ΤαᵕϹΟΩΗα 6. ΗϹαΦΤΗϹΗΤȢΧΡΗϛȢ 7. ΗϛΗΡΕΤΗΡΤΟ

8. ΗΠΕΡΗΤΟΜΗ 9. ΗΩϹΩαΧΗ 10. ΗΓΕΡϹΗΤȢΛαϚαΡȢ 11. ΗϛΗΓαΛΗΛΕα

12. ΜΗΜȢΠΤȢ 13. ΗαΡαΛΗΨΗ 14. ΗΠΕΤΗΚΟϛΗ 15. ΗΜΕΤαΜΟΦΡΟϹ

16. ΗϛαϹΡοϹΗΤȢΧΡΙ 17. ΗαΠΟΚΛΟϹΗ 18. ΗαΡαϛασΗΤȢΧ

19. ΕΓΚαΡΕΨΕαΤΡΕαΚαΙΡȢΦȢ 20. ΗΨΗΛαΦΗϹΤȢϹΟΜα

21. αΧΡΗΡΕΠΗϹΕΘ 22. ΗΠΛαϹΗΤȢα 23. ΕΚαΜΕΤΗΓΡ 24. ΕΠΕΨΕϨΗΙϛ

25. ΗΠαΡαΩΗϹΟϹ 26. ΟΦΗϹΕΠΕʒΕΡ 27. ΕΒΤΗΚαϹΗα 28. ΟΩΗΟΜΟϹ

29. ΕΚαΜΕΤΟΧΙΡΟϹ 30. ΗΠΟΡΟΜαϹΕΤαοϨοα 31. ΗΘΗϹΙαΤȢαΒΕα

32. ΗΘΡϹΙαΤȢΚαΡ 33. αΠΕΚΤΙΡΕΚαᵕ 34. ΟΘΡΗΝΟϹΤȢαΩα

35. ΕΘαΨΕΤΟΝαΒΕ 36. ΗΠΕΤȢΚαᵕ 37. ΟΛαΜΟΤΗΦΛΟϹ

38. ΕΞΟΜΟΛΟΓΙϹΗΓ 39. ΕΠΕΨΕΤΟϹΙΘϛΟΠαΡ 40. ΗΠαΡαΩΙϹΟϹ

41. ΗΠΕΤȢΡΟΕΡαΚ 42. αΡΧΙϹΕΤΗΚΗΒΟ 43. ΗΛΘΕΡΟΕϛΗΚΙΒΟΤΟ

44. ΕΚαΘΙϹΕΙϛαΟΡ 45. ΗΜΕΘΗϹΙΤȢΡΟΕ 46. ΗΠΕΤȢαΒΡαα

47. ΗΟᵕϹΙαΤȢΒΡαα 48. ΗΦΙΛΟΞΕΡᵕαΤȢαΒΡαα 49. ΗϛΟΛΟΤ

50. ΕΞΟΜΟΛΟΤΙϹΗϹΤ 51. ΕΤΕΡαϹΕΡΙϹαΚ 52. ΤΟΦΡΕαΤȢᵕαΚΟ

53. ΕΠȢΛΗϹαϹΙΤΟΡΙΟϹΙΦ 54. ΗϛȢΠΕΤΕΦΡΗ 55. ΗΦΗΓΙΤΟᵕΙΟϹΙΦ

56. ΗϛΙΦΗΛαΚΗ 57. ΗϛȢΦαΡαΟΤΟΡΙΟϹΙΦ 58. ΝΕΓΚαΩΟΡαΤȢΙΟϹ

59. ΟαϹΠαΜΟϹΙΟϹΗΦ 60. αΘΕΡΗαΙΟϛȢΦαΡ 61. ΟΜΟΗϹΗϹΕΤΗΒαΤΟ

62. ΕΠΙΡΕΜΟϹΗϹΤΙϹΗΙϹΗϹΩΡαΗΛ 63. ΟΦαΡαΟΩΙΟΚΗΤΟΜΟΗϹΗ

64. ΕΒαΛΕΤΟΡαΕΓΗΤȢΗϛΗΘαΛ 65. ϹΛ÷ΗϛΗΡΕΡΗΜΟΡ

66. ΕΩΟΚΑΙΤΟΜαΡαΤȢΜΟΗϹΗΕΤΙΕΡΙΜ 67. +ΗΨΟϹΕΤΟΦΗ 68. ΕΛαΕΒΤΟΝΟΜΟ

+ΕΤΕΛΗΟΘΗᵕ 69. ΠαΛΕαΩΗ∝ΘΗΚ⁝⁝ᵕΠΟΧΗΡωϹ

ΤȢΓΕωΡΓΗΛασΚαΡΗ ϙ̅ Φ̅ ξ̅ Θ ΜαΓΉȢᵕϛά ϹϤΓ

IN VETERIS CRVCIS ANAGLYPTVM COMMENTARIOLVS.

I. HAud ita pridem Neapoli hoc ipſo anno CIↃIↃCCLVI. praeſtantiſſimum Reparationis noſtrae Cimelium in Monaſterio Carmelitarum ad Plagam Olympiam, quam noſtri homines *Chiaja* vocant, Crux quaedam reperta fuit inter ſacras ſupellectiles, quae vetuſtate inutiles in capſa, velut olim in faviſſis, recondebantur. Crux (de qua loquimur) quamque ex decantato cedri ligno eſſe conſtructam volunt, duas continet partes, *Crucem* ἁπλῶς dictam, & *Baſim*. Rurſus Crucis truncus quaquaverſus in viginti omnino dividitur laterculos, ſeu ſegmenta, in quibus carptim ex N. Teſtamento ſcalptor complures hiſtorias exhibuit. Ex N. dixi Teſtamento; ſi ſegmentum V. excipias, in quo praeſentatio B. Virginis exprimitur; quam non ex Sacro Codice, ſed ex Albo Feſtorum, quorum hîc potiſſimum habita eſt ratio, in opus ſuum ſcalptor derivavit. Baſis, quae ſpeciem turris campanariae praeſefert, octangula eſt, & ſex ut ita dicam tabulata continet; quorum ſingula octo ſegmentis conſtant. Baſis portentoſiora quaeque ab orbis conditu ad Legem Hebraeis datam geſta, ex V. Teſtamento exprimit; niſi quod paſſim Rabbinicae fabulae interſeruntur. Singulis autem ſegmentis conveniens Epigramma praefigitur litteris non inciſis, ſed ex-

excisis ; quales in nonnullis sepulcris ; quae vulgus *Gothica* vocat, intuemur.

II. Porro fundus Basis inscriptione sua non vacat. Atque hîc mirari libet artificis judicium, qui nomenque suum, & aetatem, qua opus absolvit, litteris non excisis, ut antea, sed incisis prodidit ; ne forte illae ex attritu diuturno dissilientes, aliquando crucem figerent ἀρχαιολόγοις investigantibus, quo saeculo, quave manu opus hoc anaglyptum prodierit. At gratulandum nobis est, quod utrumque diligentiâ scalptoris tenemus ; nam, ut in fundo basis legitur : *Crux absoluta fuit manu Georgii Lascari anno* CIↃIↃLXIX. scio nonnullos, qui non nisi, quae vetustatis rubigine exesa sunt, in pretio habere solent, nostrum anaglyptum despicatui habituros ; quippe quod brevi prope modum intervallo distet ab aetate nostra. At primum huic malo, quidquid id, & qualecumque sit, sequutura in dies aetas medebitur ; tum scilicet, cum quae modo oculis subjecta sunt, longo postea interjecto spatio, vix discerni possunt. Praeterea Crucis anaglyptum non ab aetate scalpentis ; sed inde usque auctoritatem sibi arcessit, unde expressum est. Nemo certe mihi hoc eripiet, quin scalptor non primus ab inchoato tantum opus invenerit ; sed aliunde in rem suam derivarit. Scitum enim est, ut ritus in re Liturgica semper sarti tectique fuere ; ita sacram supellectilem, quam diuturnus usus probavit, veluti per manus traditam, prope invariatam ad nos pervenisse. Jam vero quis unquam sibi persuaserit, exeunte saeculo XVI. tantam ignorantiae caliginem

Chri-

Christianis hominibus insedisse, ut vera a falsis, explorata ab incertis secernere nequirent? Atqui in nostra Cruce plura sunt, quae non ex puro S. Scripturae latice; sed ex lutulenta Rabbinorum foece prodierunt. Verisimile igitur puto tum primum hanc Crucis formam effingi coepisse, cum hujusmodi Rabbinicis quisquiliis pretium ab imperitis statuebatur. Hanc porro Crucis expressionem Georgius Lascarus, ut patientiae suae specimen daret, aetate sua labore summo redintegravit, & cum eisdem, quae in antiquiore reperit, plurimis in orthographia peccatis exhibuit, ac fortasse & aliis cumulavit. Sed conjecturarum satis.

III. Ne vero in singulis segmentis fallentem scalptoris manum oscitantiae arguamus, hoc in antecessum dictum volo, vocales ejusdem soni saepissime vicissim permutari: e. g. H raro pro E, saepius pro EI, Y, I scalpi; sic AI pro E, B pro Υ &c.; litteras finales ut plurimum omitti; quarum etiam omissio in medio usuvenit; initia vocum cum praecedenti littera non raro coalescere, & quandoque desiderari. Illud observatu dignum est, inter tot scripturae σφάλματα nunquam T pro Θ vel contra incidi; nimirum quod inter utrumque elementum magna interfuit pronuntiationis differentia. Sunt praeterea litterarum μεταθέσεις, & nominum propriorum corruptae vel productiones, vel apocopae. Haec satis esse possunt; si quid tamen abstrusius occurrit, certiorem in re praesenti lectorem faciemus.

IV. Quid porro nostra hac Commentatiuncula

prae-

praeftiterimus, praefari licet; ne quis plura a nobis, quam quae moliti sumus, expectet. Monitos lectores volo, me nonnisi grammaticum professum esse; idcirco quae intra breves Grammaticae limites expediri poterant, pro virili parte absolvisse satis mihi, superque fuit. Quamobrem textum ipsum mendis scatentem primum adscripsi; ita tamen ut ejus latus alter paullo ornatior textus Graecus tegeret; huic comitem praeterea Latinam interpretationem dedi. Postremo icuncularum descriptio adumbrata est, quatenus ipsae ad Epigrammatum intelligentiam facerent; nam cetera minutiora libens praetermisi. Quos hîc mihi labores exsudatos oportuit, ii profecto intelligent, qui Graecam barbariem cum versione contulerint. Scio nonnullis rem opinione mea faciliorem ex adjuncta argumenti scalptura videri. Ita sane se res haberet, si imagines ad vivum expressae, quid scriptura sibi vellet, indicium qualecumque darent; at pleraeque earum tum ob operis exilitatem, tum ob artificis imperitiam ita implexae sunt, & indiscretae; ut absque scriptura esset (quam esse vitiosissimam modo querebar) quidnam ipsae portenderent, ne OEdipus quidem satis pro dignitate edoceret. Verum conatus nostri ex animi sententia successerint, necne, age, Lectorum esto judicium.

EPI-

EPIGRAMMATA

CRVCIS SEGMENTIS PRAEFIXA:

PARS ANTICA.

I. Ὁ Εὐαγγελισμός: *Bonum nuntium*. Luc. I. 78. Qua voce *dies festus Adnuntiationis Deiparae* Graecis notatur. V. Gloss. Gr. Du Cange. Dexterâ Maria, sinistrâ Angelus, uterque genuflexi, inter quos lucis radius e Caelo emicat.

II. Ἡ γένεσις τοῦ χριστοῦ: *Nativitas Christi*. Luc. II. 7. Nomen Christi per initia syllabarum exprimitur: sub rupe bos, & asinus fovent Jesum recens natum: sinistrâ tres pastores: dexterâ adventus Magorum.

III. Ἡ ὑπαπάντησις, saepius ὑπαπαντὴ: *Occursus*: Luc. II. 22. Hac voce Graeci vocarunt Festum, quod Latinis audit *Purificatio*. Maria puerum Jesum Simeoni tradit: hinc inde Joseph, & Anna.

IV. Ἡ Βαϊφόρος: *Dies Palmarum*. Joan: XII. 13. a βάγιον pro βάϊον *Palma*, ut γαγιος pro γαϊος, &c. Christus asello vectus magna hominum turba stipatur.

V. Τὰ εἰσόδια & plenius τὰ εἰσόδια τῆς Θεοτόκου: *Festum Praesentationis B. Virginis*. Ante fores templi senex ad hominum turbam conversus, quorum alii stant, alii genuflectunt. Imagunculae vix discerni possunt. Vide quae pauca de hoc segmento praefatus sum num. 1. in admonit.

VI. Ἡ Βάπτισις τοῦ χριστοῦ: *Baptismus Christi*. Matth. III. 16. In Lexico Graec. Du Fresne reperitur

βάφειν pro βάπτειν; at fuiſſe quoque aevo ſequiore βαφτίζο, verbale βάφτισις ſatis docet. Joannes aqua Jordanis Jeſum tingit: ex utraque parte diſcipuli Chriſti, & Joannis.

Latus sinistrum Crucis.

VII. Εἰς τὴν Αἴγυπτον: (Fuga) *in AEgyptum.* Matth. II. 13. Joſeph Chriſtum amplexatus ſequitur Mariam jumento vectam, praeeunte agaſone.

VIII. Ἡ περιτομή: *Circumciſio*. Luc. II. 21. Puer faſciis involutus ſuper aram ſiſtitur: hinc, & hinc duo, qui vix apparent, genuflectunt.

IX. Ἡ διδαχή: *Doctrina*, cum nempe in templo docuit. Luc. II. 46. Jeſus in cathedra ſedet: plurimi ad ipſum audiendum moliuntur aſcenſum.

X. Ἡ ἔγερσις τοῦ λαζάρου: *Reſuſcitatio Lazari.* Joan: XI. 43. Jeſus turba ſtipatus ad Caelum oculos intendit: mulier revolvit lapidem ab monumento, ubi viſitur Lazarus manus pedeſque inſtitis ligatus.

Latus dextrum Crucis.

XI. Εἰς τὴν Γαλιλαίαν: (Chriſti adventus) *in Galilaeam*. Joan: IV. 45. Jeſus in cathedra ſedens turbam prae ſe ſtantem alloquitur.

XII. Verba ſunt Joannis XX. 17. Μή μου ἅπτου: *Noli me tangere*. Scalptura eadem eſt, ac num. praeced. XI. Quid ſcalptor ſecutus fuerit, non ſatis video.

XIII. Ἡ ἀνάληψις: *Aſcenſio*. Act. I. 9. Chriſtus in

in Caelum ab Angelis elevatur discipulis aspectantibus.

XIV. Ἡ Πεντηκοστή: *Pentecoste*. Act. II. 2. Ignis e Caelo ad linguae imaginem scintillans illabitur super discipulos, inter quos Maria orat.

Pars Postica.

XV. Ἡ μεταμόρφωσις: *Transfiguratio*. Matth. XVII. 2. Christus inter Moysen & Eliam in monte: prope sunt Petrus, Jacobus, & Joannes; horum duo proni humi procumbunt, tertius alloquenti similis genuflectit. In textu perversa litterarum methathesis est.

XVI. Ἡ σαύρωσις τοῦ χριστοῦ: *Crucifixio Christi*. Marci XV. 27. 36. Christus inter duos latrones cruci suffixus: miles longum calamum spongiâ circumligatum Jesu admovet: ad dexteram crucis sunt Mariae, & nonnulli alii. Cruces sunt cum suppedaneo.

XVII. Ἡ αποκαθήλωσις: *Refixio a Cruce*. Marc. XV. 43. Joseph ab Arimathaea Christum e cruce deponit; quem alii infra excipiunt. Sunt & hìc qui instrumenta ad hanc rem necessaria gerunt.

XVIII. Ἡ ἀνάστασις τοῦ χριστοῦ: *Resurrectio Christi*. Jesus beatis Spiritibus circumfusus e sepulcro resurgit; ejus pedes decussatae cruci velut tropaeo nituntur. Porro sepulcri forma eadem est, ac n. XXXV. ubi reconditur Abel.

XIX. Epigramma omnium in hoc anaglypto corruptissimum. Fortasse contractum est ex Marci XV. 21. Αγγαρευουσι Σίμωνα πατέρα Ἀλεξάνδρου καὶ Ῥούφου: *Angariaverunt* . . . *Simonem* . . .

 pa-

patrem Alexandri, & *Rufi*. Christus praeit; sequitur Simon crucem bajulans; & militum agmen, quod nescio quis scalam succollans claudit.

XX. Ἡ ψηλάφησις τοῦ σώματος: *Contrectatio Corporis*. Joan: XX. 27. Jesus & Thomas in coenaculo verba commutant; hinc & hinc discipuli.

EPIGRAMMATA

BASIS OCTANGVLAE IN SEX TABVLATA DIVISAE, QVORVM SINGVLA OCTO SEGMENTA CONTINENT.

I.

XXI. ἘΝ ἀρχῇ ἐποίησε Θεος: *In principio creavit Deus*. Gen. I. 1. Rotunda sphaera, sed vacua, qua Mundus exprimitur: in medio terra statuitur plurimis arboribus consita: extra Mundum Deus protendit dexteram manum benedicturus quae creaverat.

XXII. Ἡ πλάσις τοῦ Ἀδάμ: *Formatio Adae*. Gen. III. 7. Deus sedet hominem fingens: hic stat, & speciem viri aetate provectâ refert.

XXIII. Ἐγάμησε τὴν γυναῖκα: *Duxit uxorem*. Gen. III. 21. Adam & Eva sopiti cubant; quorum e regione stat Deus.

XXIV. Ἐπεμψεν εἰς τὸν (παράδεισον): *Misit in* (Paradisum), quod Gen. II. 15. de uno Adamo dicitur, hic utrique adscribitur; nam Adam baculo nixus, & Eva pone sequens in Paradisum affectant viam;

viam; quos Deus per ſublime vectus prae ſe agit.

XXV. Ο῾ παράδεισος : *Paradiſus* . Gen. II. 15. Fortaſſe aevo ſcalptoris παράδεισος ſequioris quoque generis fuit ; nam infra ſegm. XL. eâdem forma exhibetur : hortus muro ſaeptus , cujus aditus duabus hinc & hinc turribus munitur.

XXVI. Ο῎φις ἔπαιξεν : *Serpens decepit*. Gen. III. Serpens humana facie caput inter ramos arboris pomis onuſtae exſerit , caudamque deorſum in trunco replictam habet.

XXVII. Ε῏υγε εἰκασίας : *Macti eſtote* (iſthac) *aſſimilatione*. Ε᾽υγε hic irridentis eſt. Senſus expreſſus eſt ex Gen. III. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt* . Adam & Eva nudi ſedent more reorum veniam deprecantium , quos Deus ſuperne alloquitur.

XXVIII. Ο῾ διωγμός. *Expulſio* . Gen. III. 24. Angelus diſtricto gladio Adam & Evam e Paradiſo ejicit.

II.

XXIX. Ε᾽κάμετο χειρός : *Manu laboravit* . Gen. III. 17. Adam ſedet : ex adverſo Eva ſtans neſcio quid teretis ligni dextera gerit.

XXX. Ε᾽πωνόμασε τὰ ζῶα : *Appellavit nominibus ſuis animantia*. Gen. II. 20. Quadrupedes coram Adamo ſedente ſiſtuntur : nomen quaeque ſuum dari ſibi praeſtolantes.

XXXI. Η῾ θυσία τοῦ Α᾽βέλ : *Sacrificium Abelis* . Gen. IV. 4. Abel brevi pileo tectus ex primogenitis gregis , qui poſt eum paſcitur , pecudem Deo ſuper ſtruem offert.

XXXII.

XXXII. Ἡ θυσία τοῦ Καΐν: *Sacrificium Cain*. Gen. IV. 5. Cain dextero humero ſuſtinet aerumnam, ſeu furcillam, unde neſcio quae pendet ſarcina; ita adeſt ſacrificio, ut alio cogitare videatur.

XXXIII. Ἀπέκτεινε Καΐν: (Abelem) *occidit Cain*. Gen. IV. 8. Cain utraque manu ingentem lapidem attollit, jacturus ſuper Abelem humi porrectum.

XXXIV. Ὁ θρῆνος τοῦ Ἀδάμ: *Lamentatio Adae*. Quae hoc & ſequenti ſegmento ſcalpuntur, non e ſacris Bibliis; ſed e Rabbinorum penu ſunt petita. Eva flammeo caput velata luget Abelem in lecto jacentem: dexterâ Adam, ſiniſtrâ neſcio quis alius.

XXXV. Ἔθαψε τὸν Ἀβέλ: *Sepelivit Abelem*. Angelus ſepulcro condit Abelem faſciis involutum more Orientalium. Ex utraque parte ſepulcri Eva dextrâ, Ada ſiniſtrâ genuflexi pacem mortuo adprecantur.

XXXVI. Εἶπε τῷ Καΐν: *Dixit Caino*. Gen. IV. 9. Caſus patrius τοῦ inſervit quoque dativo τῷ, vide *Gramm.* Simonis Portii. Deus Cainum alloquitur; hic convertit faciem, velut qui ex improviſo interpellatur.

III.

XXXVII. Ὁ Λάμεχ (ſeu Λάμεχος, pro quo hîc Λαμος) τύφλος: *Lamech caecus*. Hîc ſcalpitur quod obſcure narratur in Gen. IV. 23. Lamech pileatus arcum ſiniſtrâ tenet, ſagittâ jam emiſsâ, in virum poſt virgulta ſeu ſaepem latitantem. Quis hic vir fuerit, praeſtabit ex *Dictionario Biblico* Calmeti audire, qui in voce *Lamechus* haec habet: *Hebraeorum traditio fert,*

La-

Lamechum, oculorum usu amisso, Cainum in venatione ignotum sibi, & pro bellua habitum occidisse &c.

XXXVIII. Ἡ ἐξομολόγησις: *Confessio*. Sub tecto vir & femina genuflexi coram homine pileato, & scipioni innixo. Hujus numeri, ut & sequentium duorum nec vola, nec vestigium apud Sacram Scripturam. Opinor hoc segmento exprimi resipiscentiam Adami, & Evae poenitentium coram Seth. Hujus enim habitus idem prorsus est, ac qui num. XL. occurrit; qui haud dubie Seth est, ut suo loco dicemus.

XXXIX. Ἔπεμψε τὸν Σὴθ εἰς τὸν παράδεισον: *Misit Seth in Paradisum*. Adam lecto insidens Seth alloquitur, vide num. seq.

XL. Ὁ παράδεισος: *Paradisus*. Vide num. XXV. Seth cum pileo & baculo sustentatum: Angelus ante fores Paradisi venientem opperitur. De prolixa Seth in Deum pietate, deque ejus in Paradisum adventu adeundi sunt Rabbini. Interim haurire nonnulla ex *Lexico Publico* Calmeti in voce *Seth* haud ab re erit. *In libro Apocrypho inscripto* Parva Genesis *legimus Seth* XL. *annorum aetate raptum in Caelum ab Angelis &c.* Hoc intercedit inter *Parvam Genesim*, & nostrum anaglyptum, quod illic Seth rapitur ab Angelis; hic a patre in Paradisum, unde ipse exsulaverat, mittitur.

XLI. Ἔιπε τῷ Νῶε (seu Νωάχῳ pro quo hîc Νωεναχ): *Dixit Noaco*. Gen. VI. 13. Deus Noacum sub tecto sedentem alloquitur.

XLII. Ἤρξατο τὴν κιβωτόν: *Incoepit* (fabricare) *arcam*. Noe sedet, & dolabra arcam fulcris incumbentem dolat. Hîc arca navis, at infra domus oblon

longae formam exhibet. Αρχισε fine augmento. Sic *Gloſſae* ad Iliadem. Ἤρξατο, ἀρχήνιζε. Retinui verbum Ἀρχίζειν. Licet Du Cange e ſuo *Lexico* exulare juſſerit; nam ad vocem ἀρχηνίζειν extrema linea ſic ait: Ἀρχίνειν, & Ἀρχίζειν, *etiam hodie dicunt*; quaſi ſuperioribus ſaeculis ſaltem hoc poſtremum in uſu non fuerit. Atqui is idem exemplum τȣ̃ ἀρχίζειν ex Emmanuele Georgilla prodidit in voce ϛαματίζειν.

XLIII. Ἦλθε Νῶε εἰς τὴν κιβωτον: *Ingreſſus eſt Noe in Arcam*. Gen. VII. 7. Noe cum familia arcam ingreditur; pone ſubeunt animantia.

XLIV. Ἐκάθισεν εἰς τὰ ὄρη: *Requievit* (arca) *ſuper montes* (Armeniae) Gen. VIII. 4. Arca ſuper ardua ſaxa collocatur.

IV.

XLV. Ἡ μέθη του Νῶε: *Ebrietas Noe*. Gen. IX. 21. Noe ſupinus humi cubat; ante pedes praeter Cham ſunt Sem, & Japhet; horum alter vultu averſo tunicam patris ad ejus genua reducit. In voce Μεθησι ultima ſyllaba Σι παρέλκει, ut num. LIII.

XLVI. Εἶπε τῷ Ἀβραάμ. *Dixit ad Abraham*: Quae hîc, & num. ſeq. ſcalpuntur ad Gen. XXII. pertinent. Scalptura eadem eſt ac num. XLI.

XLVII. Ἡ θυσία τοῦ Ἀβραάμ. *Sacrificium Abrahami*. Abraham, diſtricto gladio, ſiniſtrâ collum Iſaaci premit ſuper ſtruem lignorum proni: haud ita procul aries.

XLVIII.

XLVIII. Ἡ φιλοξενία τοῦ Ἀβραάμ. *Hospitalitas Abrahami*. Gen. XVIII. Tres Angeli mensae adsident: ex utroque latere mensae Abraham & Sara.

XLIX. Εἰς τὸν Λώτ. *Ad Lot*. Gen. XIX. Tres Angeli pro duobus scalptori exciderunt: hi ad Lot adeunt, in porticu sedentem.

L. Ἐξομολογήσις τ.. *Confessio*. Vir genuflexus coram sene in porticu sedente. Spatii iniquitas nomen confitentis excludit. Si quid tamen ad Rabbinici furfuris ingenium est audendum; crediderim hîc τοῦ Λὼτ nomen supplendum; ita ut Lot facinus suum quod imprudens cum filiabus patravit, Abrahamo, vel cuivis alii more poenitentium aperuerit.

LI. Ἐγέρασεν Ἰσαάκ. *Senuit Isaac*. Gen. XXVII. 1. Isaac super lectum sedens filium Esau alloquitur: pone lectum Rebecca sermones conjugis aucupatur; nisi quis mallet hîc exprimi Isaac Iacobo benedicentem. Sed in tanta icuncularum tenuitate quis Esau vel ementitum Esau pro certo proderet?

LII. Τὸ φρέαρ τοῦ Ἰακώβ. *Puteus Iacob*. Gen. XXIX. 2. Iacob amphorâ aquam e puteo haurit: aquam prope Rachel oves agens.

V.

LIII. Ἐπωλήσαν τὸν Ἰωσήφ. *Vendiderunt Ioseph*. Gen. XXXXII. 28. Madianitae camelis vecti, quorum unus Iosephum in clune equitantem gerit. Επουλησασι pro επωλησαν. Vide num. XLV.

LIV. Εἰς τὸν πουτιΦάρ: *Ad Putiphar*. Genes.

 XXXVII.

XXXVII. 36. Madianitae adducunt Josephum ad Putiphar, qui in domus porticu sedet.

LV. Ἡ φυγὴ τοῦ Ἰωσήφ : *Fuga Joseph*. Genes. XXXIX. 12. Minus apte fuga castissimi Juvenis exprimitur ; nam mulier Putipharis ita lacinias vestis Josephi utraque manu tenet, velut quae nudum adolescentem sponte per fenestram dimiserit. Quid imperito scalptori faceres?

LVI. Εἰς τὴν φυλακήν : *In custodiam*. Genes. XXXIX. 20. Miles sagatus Josephum protrudit in carcerem Putipharis (Genes. XL. 3.), quam ob causam scite scalptor eunuchum Pharaonis sedentem supra tectum carceris exhibuit.

LVII. Εἰς τὸν Φαραὼ τὸν Ἰωσήφ: Ad *Pharaonem* (adducunt) *Joseph*. Genes. XLI. 14. Adducitur a milite Josephus ad Pharaonem in aedibus sedentem.

LVIII. Ἤνεγκαν δῶρα τῷ Ἰωσήφ: *Obtulerunt munera Josepho*. Genes. XLIII. 26. Joseph in domo sedet: coram ipso fratres cum Simeone sistuntur.

LIX. Ὁ ἀσπασμὸς Ἰωσήφ : *Amplexatio Josephi*. Genes. XLVI. 29. Joseph *irruit super collum* patris : ejusque fratres haud ita procul.

LX. Ἦλθεν Ἰακὼβ εἰς τὸν Φαραώ: *Venit Jacob in conspectum Pharaonis*. Genes. XLVII. 7. In sacris Bibliis Jacob seorsum a filiis ad Regem adducitur ; at in nostro anaglypto Pater, & Josephi fratres Pharaonem simul adeunt. Scalptura eadem occurrit n. LVIII.

VI.

VI.

LXI. Oʿ Μωυσης ἐν τῇ βάτῳ : *Moises in rubo* . Exod. III. 2. seq. Caput supra rubum ardentem emergit : Moises humi sedens tibialia solvit : post Angelus e terra sublimis.

LXII. Verba nimium quantum implexa ; quae sic per me interpretari licet : Eʼπειρε Μωσῆς ὅςις εἰς (pro ἐν) Iʼσραήλ : *Transvexit Moses quicumque in Israel* (erat) Exod. XII. 37. seq. Πείρω pro Περάω *transmitto* , *trajicio* . Henr. Steph. tom. III. p. 160. Μωση pro Μωσης ut num. LX. Ιακω pro Ιακωβ ; praeterquam quod litterae finales , ut supra monui , saepissime omittuntur . ϲτιϲ pro ὅςις , abscissâ principe littera, ut eodem num. LX. λθεν pro ηλθεν, ςου pro εἰς τ. num. LVIII. νεγκαν pro ενεγκαν &c. Praeterea ΗΙϲ̄ pro εἰς , quod etiam num. XXIV. occurrit. Denique ex perversa pronuntiatione Ισδραηλ pro Ισραηλ irrepsit: Populus procedit: pedites baculis nixi agmen agunt, equites cogunt.

LXIII. Oʿ Φαραὼ διώκει τὸν Μωϋσῆν : *Pharao persequitur Moisen* . Exod. XXIV. Eques praeit: excipiunt pedites sagis induti: succedit Pharao cum equitatu.

LXIV. Eʼβάλετο ῥάβδῳ τοῦ εἰς τὴν λασσαν : (Pharao) *projectus est virga hujus* (Moisis) *in mare* . Exod. XIV. 27. Ραυγη , seu ραβγη pro Ραυδή, ut mensis Majus Graecis barbaris est Μαγιος, & Μαδιος . Mitto quod ραυγη propius ad Italorum *raggio* accedit , quorum jam ore pleraque vocabula Graeca a barbaris efferebantur ; nam scitum est *Radium* la-

 ti-

tinorum esse a graeco Ραβδος. Porro Ραυγη seu potius ραυδη pro ραβδος ad corruptam Graeciam pertinet. Vide Du Fresne. Ad haec articuli postpositi τοῦ pro τουτου non desunt exempla apud probos scriptores. Ultima syllaba σαν in θάλασσαν reperitur in principio segmenti sequentis. In medio Moises virga percutit aquas, quae ritu parietis stant: hae corruentes AEgyptios opprimunt: sinistrâ Hebraei iter institutum pergunt.

LXV. Εἰς τὴν ἔρημον: Hebraeorum processum *in Eremum* hoc segmento exprimitur. Recte signum divisionis ÷ apponitur; nam syllaba praecedens ad finem superioris segmenti pertinet, ut ibi monuimus.

LXVI. Ε῎δωκε τὸ μαννα τῷ Μωυσῇ εν τῇ ἐρημῳ posset quoque legi ἔδω καὶ &c. Sed primum magis placet: *Dedit manna Moisi in deserto*. Epigramma non apprime convenit cum scalptura; nam hîc arca plaustro vehitur: praeeunt Hebraei.

LXVII. Υ῞ψωσε τον ὄφιν: *Extulit* (Moises) *serpentem*. Numeror. XXI. 9. Recte crucis διαστήμα praefigitur; nam typum crucis serpens gessit: Hebraei tendunt ad arborem, cujus in trunco cauda serpentis implicatur.

LXVIII. Ε῎λαβε τὸν νόμον: *Accepit legem* (Moises (Exod. XXXII. Moises in monte genu flexus tabulas legis ab Angelo accipit: ab alterâ montis parte vitulus supra basim ab Hebraeis colitur.

IN-

INSCRIPTIO IN FUNDO BASIS INCISA.

LXIX. Ἐτελιώθη ἡ παλαία διαθήκη ὑπο χειρὸς τοῦ Γεωργίου Λασκαρου ϡφξθ Μαΐου ἑςασης Γ. h. e. *Perfectum est vetus testamentum manu Georgii Lascari* (anno) CIƆIƆLXIX. *Maji ineunte die tertia*. Ὑπαλεα pro ἡ παλαία; ut contra ἡ pro ὑ num LVI. φηλακη, num LXVII. ηψοσε &c. Ultimae vocalis H in διαθηκη, vix apparent vestigia. *Vetus* autem *Testamentum* non ita dicitur, quasi scalpendae cruci, in qua Novi Testamenti narrationes incisae sunt, alius a Georgio operam locasset; sed quod inscriptio in fundo basis incidenda erat, ita dictum oportuit; basis autem nonnisi gesta Veteris Testamenti exhibet Uς ⲁC scalptum putabam pro Hς ⲁC, ut supra ὑ pro ἡ; hoc vero ἡμέρας interpretabar, sigla ς litterarum MEP vicem implente. Sed potius ut vel υςας compendii causa pro ιςαστης accipiamus, vel ιςατα legamus; nam post litteram C videre videor A elegantiore manu additum. Quae tamen vox non ad vetustum Graecorum morem, partientium mensem in ἱςάμενον, μεσοῦντα &c. sed ad ridiculam aevi medii & infimi πολυπραγμοσύνην referenda est; tum scilicet, cum annum, diem, horas, adhaec & horarum scrupulos, quasi id perdite curasset populus, operibus addi libido fuit. Vide Fabrett. Inscript. p. 96. num. 219. Sed & ipse vidi plures MS. Codices in Bibliotheca Augustinianorum S. Joannis ad Carbonariam (1), in quibus amanuen-sis

(1) Codices hi, Monachis S. Johannis ad Carbonariam alio commigrare jussis, translati sunt in Bibliothecam Regiam. CASTALDIVS.

ſis ad calcem libri, quo ſe anno, quove die & quota hora ſcriptionem abſolviſſe monet. Ergo noſter Georgius ſubſcriptione ſua hoc dat intelligere, ab opere ſe anaglypto manum ſuſtuliſſe anni CIↃIↃLXIX. ineunte die tertia Maji; quam diem Latina Eccleſia *Exaltationi S. Crucis* jampridem dicaverat.

Hunc qualemcumque laborem ſuſcepi in gratiam D. Thomae Veſpuli Canonici Neapolitani; qui, cum ſupraſcriptam Crucem Benedicto XIV. P. M. donare conſtituiſſet, mihi Nic. Ign. ingratiſſimum hoc opus impoſuit, ut imagunculas & inſcriptiones explanarem.

EMEN-

EMENDATIONES
HYMNI HOMERICI
IN CERERE M.

HYMNI NOTITIA IVDICIVM, AETATIS DIVINATIO.

HYmni, quem ſcripſerit Homerus in Cererem; meminit Pauſanias, qui inde ſex omnino verſus libro II. 14. & libro IV. 30. recitavit. Sed genuinus Homeri, an ſuppoſititius partus ille fuerit, quis certam ex verſibus oppido paucis conjecturam capere potuiſſet? nam, quod ad Pauſaniae affirmantis attinet teſtimonium; ea in re non valde fidendum eſt veteribus, quos ſcimus, ingenio quidem excelluiſſe, at vero accuratiore critica non multum abundaſſe. Hymnum autem illum in Cererem a Pauſania laudatum, quicumque ſit ejus auctor, ad hanc uſque aetatem noſtram fruſtra deſideratum, haud ita pridem benigniore Caeli clementia in apricum prodiiſſe volunt. Ac profecto is Hymnus typis Lugduni Batavorum publicae lucis uſuram nactus eſt anno CIƆIƆCCLXXX. cura, diligentiaque Davidis Ruhnkenii, magni nominis in Republica litteraria, de eaque optime meriti, datis a ſe plurimis operibus immortalibus, & quamdiu Graecis Latiniſque litteris honor conſtabit, duraturis. Verumtamen, antequam ulterius progrediar, neceſſe eſt, ut

ut pauca quaedam ex editione Lugdunensi delibem ; quo nostri homines de fato inventionis erudiantur.

Fridericus Matthaei e Germania Moscam arcessitus, ut ad Graecam Latinamque eruditionem, qua ipse optime informatus erat, juniorum animos accenderet, forte incidit in Homeri codicem Bibliothecae S. Synodi, quem saeculo XIV. exaratum volunt; quo in codice praeter Iliadem, & Odysseam, Hymnosque, qui sub Homeri nomine circumferuntur, exstabat fragmentum hymni in Bacchum, ac praetera prolixus Hymnus in Cererem, ad hanc usque aetatem incompertus. Ut autem intellectum est, in hoc Hymno in Cererem prostare illos ipsos sex versus, quos Pausanias ex hymno Homeri in Cererem protulerat; nullus dubitandi locus superesse visus est, quin Hymnus in Cererem Moscoviticus (sic porro a me discriminis causa appellabitur) idem ipse sit, atque ille, cujus Pausanias, tamquam ab Homero scripti, meminerat. Ergo Cl. Matthaei non ultra passus sibi dumtaxat in sinu suo gaudere, rem tantam Cl. Ruhnkenio exposuit ; eique in existimationis atque observantiae argumentum gratiam fecit, ut ipse classicum canens primus Orbi litterato inventum thesaurum denunciaret publicaretque. Id quod diligentissime Cl. Ruhnkenius in se recipiens, editionem illam Lugdunensem, de qua modo dicebam, instruxit, ornavitque. Sed quantum doctissimus vir ea in editione elaboravit, paulo post dicam; nam praestat nunc, quid ipse de eo Hymno judicarit, intelligere. Quamobrem ex doctissima ejus in Hymnum praefatione carptim ea seligam, quae in

rem

rem praesentem mihi facere videntur.

Homerum (inquit vir cl.) *Hymni auctorem testis idoneus Pausanias Igitur si Pausaniae standum est judicio , rem confectam habemus . Ego tamen, ingenue fateor , non unam mihi injectam dubitationem... Certius argumentum , quo efficiatur , hunc Hymnum non esse ab Homeri ingenio profectum , ex ipso duci carmine potest ; in quo, etsi pulcherrimo, tamen nervos, sanguinem, spiritum , quibus Homeri praestantia maxime censetur , saepe requirimus . Quam jacent, ut alia taceam, illae nihil proficientes Iridis , Hecates , & Rheae legationes! His ferme rationibus moveor , ut hunc partum Homero subditum credam ; nec tamen ab auctore ipso . . . ; sed a notis illis falsariis , qui ut Alexandriae , & Pergami regibus libros carius venderent, operum titulos mutabant , nobilius nomen , velut Homeri , minus claro substituentes Nec tamen cuiquam auctor sim, ut ingenio, otioque abutatur ad Hymni antiquitatem convellendam . Nam, ne dicam , Pausaniae judicium certe in hanc partem valere ; ut quod carmen ab ipso pro Homerico habitum sit , ab omnibus longe antiquissimum sit habendum ; talis in singulis versibus viget robigo vetustatis , ut a Poëta , qui vel statim post Homerum , vel Hesiodi aetate vixerit , scriptum videatur .* Hactenus cl. Ruhnkenius.

Ex quibus doctissimi viri animadversionibus ; quae sit ejus de Hymno Moscovitico sententia, plane liquet : nimirum Hymnum quidem fuisse ab incerto auctore conscriptum; sed aevo Ptolemaeorum Homero , ut major carmini auctoritas pretiumque concilia-

Bayerische
Staatsbibliothek
München

retur, ſuppoſitum. Ne igitur lucubrationem ipſi Homero aſſignet, ex eo quidem deterretur, quod nervi, ſanguis, ſpiritus, quibus Homeri maxime poëſis conſtat & excellit, in Hymno deſiderentur: ut autem antiquiſſimum judicet, vir cl. tum a rubigine vetuſtatis, quae inducta carmini videtur, tum ex teſtimonio collegit Pauſaniae, qui Homero Hymnum adſcribens, hoc ipſo antiquiſſimum exiſtimaſſe proditur.

Cujus quidem ſententiae primam partem, ſilentio ipſo probarim; ab altera vero, impetrata prius a cl. viro venia, diſcedendum reor. Namque patientia lectoris abuterer, ſi & ipſe oſtendere ſatagerem, lucubrationem, unde magniloquentia, inventionis felicitas, varietas, aptaque diſpoſitio, ac praeterea continua inopinatarum narrationum ſeries, & paſſim interpoſitae ſumma cum voluptate digreſſiones (qui praecipuus, mea ſententia, character eſt Homericae poëſeos, & in quo divinus plane Poëta ſupra ceteros triumphat; namque non admodum moror verborum delectum, quem quivis tantum non ineptus, ſibi imitatione optimorum ſcriptorum, labore, induſtria, atque exercitatione comparare quiverit) lucubrationem, dico, illam, unde praecipuae poëſeos dotes exſulent, indignam prorſus eſſe, quae Poëtarum principi adjudicetur. Tale nimirum eſt Moſcovitici poëmatii ſcribendi genus, ut ex ipſa carminis αὐτοψία patet. Enimvero ſi ab elocutione diſceſſeris, quae, fateor, ferme tota ad Homeri imitationem decurrit, & quam in verſibus Sibyllinis, in Paralipomenis Q. Calabri &c. contemplari licet; cetera omnia, quae

poë-

poëticae inventionis ſubſtantiam fingunt, diſponunt, atque exornant, longe ab illa felicioris aevi ſimplicitate, nativa pulcritudine, & gratia, & judicii maturitate recedunt. Itaque in eo, quod Hymnus Moſcoviticus inter ſpurios Homeri partus ſit referendus, ſumma mihi cum cl. viro conſenſio eſt. Attamen aegre adduci poſſum, ut cum eodem, ultimam carmini antiquitatem tribuente, conſpirem; tantumque abeſt, ut poëmatii auctorem Heſiodo aequalem faciam; ut potius Pauſaniae temporibus recentiorem exiſtimem; id quod cuique erit in proclivi colligere, qui Hymnum Moſcoviticum cum ipſo Pauſania contulerit.

Et hymnographus quidem noſter, dum Plutonis opportunitatem inſidiandi Proſerpinae exponit, tempus illud ab eo captatum innuit, quo puella, a comitatu ſodalium ſegregata, tota in narciſſum florem (qui graphice verſibus 8. 9. 10. deſcribitur) revellendum incumberet. Quamobrem ex Hymno Moſcovitico, quem, tamquam ab Homero conſcriptum, laudaſſe Pauſaniam volunt, colligere quivis facile, atque omnium maxime Pauſanias, poterat, Proſerpinam fuiſſe narciſſi floris venuſtate captam & ludificatam. Atqui Pauſanias lib. IX. 31. ubi de Narciſſo puero Theſpienſi, ſe in lymphas praecipitante, diſſeruiſſet, pauca deinde quaedam de narciſſo flore attingens, ſe ex Pamphi (qui hymnum in Cererem etiam concinnaſſe ferebatur) verſibus didiciſſe narrat, raptam fuiſſe Proſerpinam, tum cum narciſſos legeret. *Narciſſum vero florem* (inquit loc. cit.) *& multo ante e terra editum puto* (εἰ τοῖς Πάμφω τεκμαίρεσθαι

χρή

χρή τι ἡμᾶς ἔπεσι) *quantum nobis ex Pamphi versibus conjicere licet . Multis enim ante Thespiensem Narcissum annis natus* (Pamphus), *Proserpinam Cereris filiam raptam scribit , dum luderet & flores legeret ; neque violis illam , sed* NARCISSIS *deceptam .* Idipsum de Proserpinae narcisso paucis attigit Scholiastes Sophoclis, *ad vers.* 717. *Oedip. Colon.* Sed haereo , utrum is ex Pausania , an ex Pampho profecerit ; namque ejus aetas mihi non liquet . Sophoclis locum , ut id obiter dicam , laudat Plutarchus *Sympos. Quaest. II.* 1. *pag.* 467. ubi narcissi etymon tradit.

Hac autem instituta Hymni Homerici cum Pausaniae loco collatione , palam fit , nisi vehementer fallor , Hymnum in Cererem , prout in Moscovitico codice exhibetur , Pausaniae fuisse penitus incompertum : alioquin is , si in promptu habuisset Hymnum Moscoviticum , eumdemque Homericum , ubi de narcisso , qui fraudi Proserpinae fuerat , fit mentio ; de eruenda narcissi floris antiquitate sollicitus , Homeri , potius illustrioris procul dubio & gravioris scriptoris, quam Pamphi , auctoritatem adhibuisset . Et Pausanias quidem semel atque iterum nonnullos ex hymno Homerico in Cererem versus produxerat ; at si in eodem hymno exstitissent illi versus de narcisso flore , qui hodie in Moscovitico codice diserte leguntur ; is citius ex Homeri , quam ex Pamphi fonte potasset . Nemo autem mihi nunc majorem Narcissi Thespiensis , atque adeo Pamphi , prae Homero antiquitatem, quam Pausanias secutus fuerit , obtendat ; namque , etsi id dederim , quod liquido veritati dari non potest;

praerogativa tamen Homeri, cui universa assurrexit antiquitas, a quovis expressisset, ut ipsius auctoritas Pamphi anteferretur auctoritati. Sed volo agere liberalissime; fuerit Pamphus προσέληνος, antiquior Lunâ, eâdemque floruerit, si Diis placet, ac Homerus, auctoritate; tamen, si Homerus aeque ac Pamphus, Proserpinam, Pampho utique & Narcisso Thespiensi vetustiorem, narcissi floris venustate circumventam cecinisset; nonne satius fuisset, ut Pausanias, ad majorem dictis suis fidem arcessendam, ex utroque de narcissi antiquitate testimonium produxisset? & reipsa accuratissimus hic scriptor, sicubi Pamphum atque Homerum conspirare, simulque concinere comperit, utrumque pariter laudat, uti libro I. 38. Nunc vero dum Pamphum dumtaxat adhibet testem, involvitque silentio Homerum, tantum non exserta voce clamat, se plane Hymnum Moscoviticum ignorasse. Quocirca ex ejus silentio facultas mihi praebetur conjiciendi, hujus hymni sarcinatorem Pausania fuisse posteriorem.

Compertum enim cuique est, consuevisse veteres librorum corruptores, ut fragmenta alicujus operis illustrioris, jampridem deperditi, undecumque corraderent, eaque insarciendo supplendoque sic intexerent ac solidarent, ut unica & continuata series appareret: de qua sarcinatorum fraude plenae querelarum sunt Criticorum paginae. Ad hujusmodi rapsodorum normam, ut mihi videtur, se composuit, quicumque ille fuit, qui Hymnum in Cererem codicis Moscovitici Homero supposuit; atque is, pretium &

fidem

fidem lucubrationi suae arcessendi causa, laudatos a Pausania ex hymno Homerico versus, spurio suo operi insuit; ut fucum faceret, & genuinum Homeri opus esse videretur, judicio Pausaniae comprobatum. Neque solum is ex Homero profecit, verum etiam ex Pampho, unde ea quae de narcisso refert, hauserit. Et plura fortasse alia, quam nostra fert opinio, ex *νομιζομένου* Homeri hymno in Cererem contraxit; namque nobis nonnisi ea pauca, quae Pausaniae diligentia in Graeciae descriptione reliquit, nunc nosse licet; & aetate Moscovitici Hymni sarcinatoris plura atque uberiora fragmenta apud tot veteres grammaticos, poëtarum praesertim enarratores, quos nunc desideramus, superfuisse valde fit verisimile. Quae omnia ipse corradens, in unumque corpus ferruminans atque expoliens, tamquam Homeri tabulam in pergula mango sollertissimus exposuit. Vel sic tamen non omnia quae potuissent aliquando fraudem detegere, praecavit; namque dum vetera cum suis posterioribus curis compegit; ejus oratio nunc sermone Homerico leniter fluit, nunc vocabulis novis asperatur; est ubi sententiarum gravitate assurgit; alias repente demittitur, atque humi repit. Indeque factum esse reor, ut cl. Ruhnkenius simul *rubiginem vetustatis*, simul voces nonnullas recentiore nota signatas, ac non pauca *jacere*, deprehenderit. Itaque, ut paucis me expediam, mihi videtur lucubrationem, de qua sum locutus, Moscoviticam, non esse unius aevi ejusdemque artificis manu contextam, sed ex variis, nec tamen concoloribus, frustis assutam; cui proinde

po-

potius *Rapsodiae*, quam Poëseos, nomen ex vero competeret.

Et tamen haec Rhapsodia fortunam nacta est splendidissimam; namque ad eam emendandam illustrandamque ornatissimos ac doctissimos Batavos, Valckenarium, Fonteinium, Vyttenbachium, Ruhnkenium, operam quemque suam, contulisse comperio. Verum supra ceteros eminuit Ruhnkenius, quem postremo loco ad hoc compellavi; ut cum eo sigillatim ac propius gratularer, eique nomine nostrorum hominum, qui hisce studiis delectantur, ingentes gratias agerem, quod primus monumentum, etsi non ultimae, mea opinione, antiquitatis; attamen antiquum satis, cum orbe litterario communicarit & laboriosis laconicaque breviloquentia expositis, animadversionibus locupletarit. Quantum, Deus bone, in ejus labore felicitatis, quantumque memoriae plane stupendae! Namque de hoc etiam miratus sum, Mnemosynem ipsi propitiam, ad suppetias ferendas numquam non adfuisse; ita ut, prout res poscebat, quae in rem facerent, in loco suggereret: id quod ei cum opinionem immensae lectionis conciliat, tum maximo praesidio fuit; ut ipse continuo loca, vel obscura in suo lumine collocaret, vel confracta ac paene desperata, ad vitam atque integritatem felicissime revocaret. Igitur ejus maxime opera factum est, ut Hymnus Moscovitici codicis in Cererem, sexcentis prope locis contumeliose pulsatus, ad pristinam, si paucos versus exceperis, quos temporis injuria penitus aboleverat, incolumitatem ac speciem redierit. Pauca tamen sunt

ni

in ejus castigationibus, quae nimiam corrigendi libertatem prae se ferentia (nec enim dissimulandum est) mihi non omnino probantur.

Namque hoc equidem in more positum habui, ut in hujusmodi conatibus criticis, ante omnia allaborarim; ut editam lectionem quoquo modo tuerer, eamque quoad ejus fieri posset, ad commodum sensum inclinarem: quod si obtinere nequiverim; protinus ab lectione recederem, eamque prae ceteris adoptarem, quae ab ipsis jam impressis litterarum vestigiis omnium minime recederet: tum demum, si nihil inde profecerim; ad licentiam criticam, ut in rebus fit desperatis, devenirem. Hos autem canones, quos religiose semper tenui, cum ad lectionem Hymni Moscovitici attulissem, animadverti nonnulla a cl. Ruhnkenio sine justa causa fuisse sollicitata, nonnulla ingeniose quidem emendata, sed plus aequo ab editis in codice Moscovitico litterarum sulcis delirantia. Quamobrem visum est mihi, Hymni *Emendationes*, quae mihi quidem succurrerunt, publicare, alicui fortasse usui futuras, si quis hunc Hymnum, cui titulus Homeri vel νομιζομένου existimationem conciliat, aliquando recuderit.

Postremo hoc monitum lectorem volo, me in exponendis hisce *Emendationibus* aliquanto fuisse prolixiorem; cujus sane vitii facile gratiam factum iri mihi ipse auguror; si reputabitur, me solitarium prodiisse in publicum, non adscriptis neque Hymno, neque cl. Ruhnkenii animadversionibus; quibuscum si una pariter incessissem, utique integra quorumdam

Hymni,

Hymni, & cl. Ruhnkenii locorum recitatione, quae haud parum contulit ad prolixitatem, ſuperſediſſem.

EMENDATIONES.

VErſ. 4. Δήμητρος χρυσαόρου. AEgre adduci poſſum ut credam, ſcriptorem codicis Moſcovitici, adeo negligenter ad exſcribendum hunc Hymnum acceſſiſſe; ut in ipſo limine, uti dici ſolet, offenderit, & pro χρυσοθρόνου (quod heic ſubſtitui cl. Ruhnkenius de Graecis Latiniſque litteris benemerentiſſimus opinatur) τὸ χρυσαόρου illeverit. Tanta enim eſt inter utramque vocem ſoni diſcrepantia in fine dictionis, ut una pro altera percipi nequiverit. Quamobrem Τὸ χρυσαόρου retinendum, atque eo compoſito Cererem δρεπανόφορον, *falciferam*, deſcriptam, reor. Αορ, & ἅρπη ſeu δρέπανον, non ſignificatione ſolum, verum etiam figura interdum conveniunt. Videſis enſem Perſei in pictura Herculanenſi (Tom. IV. Pictur. Tab. VII. pag. 33.), quo hic heros Meduſae caput amputavit, ſic effigiatum; ut & punctim caedendo, & qua parte in arcum ſinuatur, ſecando, inſtar falcis, aptus eſſe appareat. Opportune ibi cl. editor Antiquitatum Herculanenſium (is eſt Paſchalis Carcani, qui in Sanctioribus Scriniis Regis Noſtri jamdudum magna cum laude honeſtatis militat, vir omnigena eruditione doctrinaque, & non fucata humanitate praeditus, mihique a prima aetate conjunctiſſimus) adnotavit n. 5. enſem Perſei ἄορ ab Heſiodo, ἅρπην ab AEſchylo ac Apollodoro dici, atque ab Hygino *falcem* ver-

 ti.

ti. Hac autem observatione adhibita; patet; epithetum χρυσαόρου, modo ἄορ pro *falce* accipiatur, Cererem non dedecere. His adde, quod ἄορ praeter primariam *ensis* notionem ad signanda alia cujuscumque artis instrumenta protenditur, non secus ac ὅπλον, & *arma*; ut Virgilio *arma Cerealia*. Profecto χρυσάορον Suidae est χρυσοφάσγανον & χρυσοκίθαρον; quorum alterum ad primam *ensis* significantiam, alterum omnino ad Apollineam *Cithara* canendi artem spectat; namque Apollo is est, quem Homerus saepe χρυσάορα salutat. Itaque ἄορ, ejusque compositum χρυσάορος vel χρυσάωρ, varias pro vario personarum statu, notiones induit; & in laterculo quidem Apollinis epithetorum *Citharam*, at vero in Cereris choragio *falcem* notabit.

Vers. 13. Κῶδις τ'. ὀδμῇ &c. Versus manifesto corruptus, & semipede decurtatus; sed praestat locum integrum producere:

Τοῦ καὶ ἀπὸ ῥίζης ἑκατὸν κάρα ἐξεπεφύκει
Κῶδις τ'· ὀδμῇ πᾶς δ' οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Γαῖά τε πᾶσ' ἐγέλασσε, καὶ ἁλμυρὸν οἶδμα θαλάσσης.

Hymnographus hic in narcissi laudibus occupatur, eumque a multitudine florum (*centum* enim *capita ab radice pullulasse* praedicat) & ab odore, quo totus perfundebatur mundus, commendat. At quid illud Κῶδις τ'· sibi velle dicemus? cl. Ruhnkenius, ubi rectissime adnotasset, τὸ Κῶδις Hesychianum pro Κωδεία, non esse aptum huic loco, sic versum refinxit:

Κηώδει δ' ὀδμῇ πᾶς ουρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν.

Lau-

Laudo equidem doctiſſimi viri acumen; at libertatem tantam non probo; hoc enim pacto particula δὲ a ſede, quam ipſa in codice Moſcovitico tuetur, in aliam ſine juſta cauſa retraheretur. Itaque cum mihi perſuadeam, totum ulcus in Κῶδις τ' latere, ibique jacturam unius ſyllabae fuiſſe factam, ſic eam vocem contumelioſe affectam reſtituerem:

. ἑκατὸν κάρα ἐξεπεφύκει
Κυδιόωντ'· ὀδμῇ πᾶς δ' οὐρανὸς :

Centum capita pullularant exſultantia. Κυδιᾶν *exſultare*, de erecta rigidaque cervice dici, notius eſt, quam ut monitore indigeat: hîc autem ad narciſſum eleganter translatum, oſtendit, ejus capita tunc non flacceſcere, ſed maximum virorem praeſetuliſſe. Hinc immenſus & quaqua verſum diffuſus odor, & plantae potiundae ingens in Proſerpina deſiderium.

(1) Verſ. 23. Ἀγλαόκαρποι ἐλαῖαι. Oleae hîc omnino importunae ſunt viſae cl. Ruhnkenio, indeque liberum conjiciendi arbitrium lectori relinquit. At equidem & locum ſanum, & intellectu non difficilem eſſe judico. Tritum eſt, poëtas ſaepe rebus inanimis, arboribus praeſertim, ſenſum atque intel-

O 2 li-

(1) Eques Pindemontius Veronenſis Hymnum hunc a ſe italice redditum edidit Baſſani CIↃIↃCCLXXXV., inque ſua Praefatione, de Emendationibus hiſce verba faciens, Auctorem noſtrum, quem *ingenioſiſſimum* appellat, ſequi, non uno in loco, profeſſus eſt; verum heic haeret illi aqua; vulgatamque lectionem *olearum*; quam adſtruere conatur Ignarra, exemplo ab Horatio petito, minime probavit. GASTALDIVS.

ligentiam tribuere: Igitur hymnographus noster, hujus τερατολογίας affectandae causa, refert, Proserpinae ejulationes *neque Deos*, *neque homines*, *neque oleas* (quibus Myseum agrum fuisse refertum hinc patet) advertisse. Plane similis in re dissimili est illa Horatii sententia: *Mediocribus esse poetis*,

Non Dî, *non homines*, *non concessere columnae*.

Verf. 50. Βάλλετο, si displicet, in Βάπτετο refingi potest; sed illud magis arridet, simplex scilicet pro composito (ut saepe alias) ἐμβάλλετο.

Verf. 64. Αἴδεσσαί με Θέας ὕπερ. Nullum commodum sensum ex θέας ὕπερ exsculpi posse fatetur cl. Ruhnkenius. An legendum Αἴδεσσαί μ' ἐλέους ὕπερ, *me pro commiseratione reverere*? Sed hoc nimis humile, abjectum, & majestati numinis indignum: verum si mendosum θέας in Ῥέας emendetur, plana sunt omnia:

Αἴδεσσαί με Ῥέας ὕπερ

Ceres Rheae ex Saturno filia, Solem deprecatura, ad declinandam exprobrationis notam, non sua in ipsum merita, si qua forte fuerint, commemorat; sed utique Rheae suae genitricis, quae ceteroqui communis omnium deorum mater habebatur, beneficia modeste insinuat, ut illum magis deliniat. Quae emendatio, si proba visa fuerit, tunc ἥνα versus sequentis, in ἥνε, ut ad Rheam referatur, est immutandum.

Verf. 122. Δὼς ἐμοί γ' ὄνομ' ἐστί. Eo libentissime

me in ſententiam cl. Fonteinii; qui pro Δὼς acute vidit Δηὼ eſſe legendum; nec enim verendum eſt, ut Ceres hoc pacto ſe ultro prodidiſſet, cum deliteſcere voluiſſet; qui quidem fuit ſcrupulus eruditiſſimi Ruhnkenii, qui propterea Δωρὶς, quam Δηὼ, hîc ſubſtitui mallet. Id inquam minime verendum eſt; namque nominis Deae τὸ διακριτικὸν, non in componente Δηὼ, ſed in ſolido compoſito Δημήτηρ conſiſtit; in quo compoſito Μήτηρ potius, quam Δηὼ, triumphat. Ac profecto Latini, Graecos imitati, in efferendo hujus Deae nomine, nonniſi Τὸ Μήτηρ ob oculos habuerunt, neglecta penitus componente illa parte Δηὼ. Ergo *Cererem* illi dixerunt; quae vox, miſſis aliis etymologiis nimis e longinquo petitis, ab antiquo verbo *Cereo*, quod olim, Varrone teſte, pro *Creo*, uſurpabatur, rectius ac pronius deducetur. Ex eodem *Cereo*, uti patet, deſcendit *Cerus*, quod in Saliari carmine, interprete Feſto, *Creatorem* ſignificabat. Vide Voſſium Etymol. in v. *Creo*. Ex eadem quoque origine, niſi valde mea me fallit opinio, *Procerum* etymon arceſſerem; nam quae hactenus de hac voce excogitata ſunt, inepta, ne dicam futilia, ſunt omnia. Quos Romulus in Senatum allegerat, ut loco Patrum & Conditorum urbis haberentur, *Proceres* olim dictos fuiſſe reor, a *Cereo* ſcilicet, creo, condo, gigno; hos aetate ſequenti, uſitatiore quidem, ſed aequipollente vocabulo, *Patricios* audiiſſe. Vide Feſtum in v. *Procum;* unde eruitur, *Procum* notare *Patricium*, & in deſcriptione claſſium Serv. Tullii, *Procum* pro *Procerum*, ſeu potius, *Procerem* fuiſſe uſurpatum.

tum. Sed redeo ad latinam *Cereris* vocem, quae, si prima origo spectetur, non aliud nisi *Creatricem*, & *Genitricem* significare perspicietur. *Cerus* quidem, ut ex carmine Saliari vidimus, erat commune Deorum elogium; attamen huic Deae; ob salutarem & beneficentissimam frugum inventionem, peculiariter attributum est; non secus ac apud Graecos, qui Δήμητρα hanc ipsam vocantes, omnium maxime ad *Matris* vocabulum, caritatis & observantiae plenum, spectarunt. Namque illa altera pars Δηὼ, adjectivum, non proprium Deae nomen, esse judico. Si veteres audimus, Δημήτηρ sic dicta fuerit, quasi Διδοῦσα ὡς Μήτηρ, ut Plato in Cratylo; vel, ut aliis visum, quasi γῆ Μήτηρ; quae sunt merae naeniae. Equidem conjicio; illud Δηὼ esse ex Pelasgica lingua, in latino etiamnum sermone superstes. Ex Phoenicio טוב *Thob*, sive *Thou* (*bonus*) proficiscitur, ut mea fert opinio, vetus latiale vocabulum *Duonus*; quod recentiores latini *Bonus* extulerunt; mutato scilicet *Th* in *D*, ut ex θεὸς *Deus*, & addita tralaticia productione nominis, ut ex *Tribus*, *Tribunus*; ex *Quiris*, *Quirinus*, & millena alia. Glossae Philoxeni: *Duonus*, ἀγαθός. In carmine Saliari *Duonus* est *Bonus*. In Plauto *Jovem se placare posse Donis hostiis*, Scaliger restituit *Duonis*. Vide Vossium Etym. in v. *Bona*. Nunc missum facio Camerarium, quem sequitur Vossius loc. cit., qui *Duonum* repetit a *Duobus*: namque *Bonum*, inquit, cum sui in alterum sit communicativum, *Duum* mentione indicatur: quod etsi philosophice sit verum, grammatice tamen non item. Ergo Tyrrheni, qui in Ita-

Italiam delati, auctores priscis Latinis fuerunt, ut ex *Thov* Pelasgico exprimerent, ad suaeque linguae genium inflecterent, *Duonus*; iidem ipsi, dum in Attica versarentur, Graecos docuerunt, ut inde etiam ΔηFῶ sive Δηῶ eodem significatu usurparent. Quo fit, ut Δημήτηρ, contractum ex Δηῶ Μήτηρ, nihil aliud Latine pressius notet, nisi *Duona Ceres* h. e. *Bona Genitrix*, ut in carmine Saliari *Duonus Cerušes* est *Bonus Creator*, Genitor. Ac vide, sodes, quam Graeci Latinique amice, ac veluti e compacto consentiant, dum etiam hujus Deae nomen decurtant. Graeci Proserpinae matrem non raro Δηῶ vocant, h. e. *Bonam*, ut indicio linguae Phoeniciae paulo ante insinuavi: hoc ipsum & Latinos factitasse comperio, quibus deam *Bonam* non aliam esse a *Cerere*, possem ostendere, si id agerem. Sed redeo tandem, unde praeter meam opinionem digressus fui. In nostro Hymno ne dubites, sic ut Fonteinius monuerat, legere, Δηῶ ἐμοί γ' ὄνομ' ἐςί. Nullum enim inde periculum de proprio nomine Cereris delitescentis perperam prodito; quod autem proditur, non sic Cereri proprium, ut cum aliis multis communicari nequeat.

(1) Vers. 144. Καὶ κ' ἔργα διαθήσαιμι γυναικός. Versus in primis corruptus, & cum metri ratione colluctans. Cl. Ruhnkenius nihil hîc habet, quod

(1) Prae Ruhnkeniana emendatione, amplectitur Pindemontius, uti & paullo post in versu 157., hanc nostri Auctoris; & quidem non sine plausu. CASTALDIVS.

quod difficultatem extricat. At vero si vox διαθήσαιμι, quae sola turbas ciet, unius litterae fulcro adjuvetur, carmini quantitatem restituet. Ceres, ut operam industriamque suam exponeret, jactat se esse hujusmodi, quae scite noster *puerum ulnis gestare ac nutrire*, *domum tueri*, *lectum sternere*; & ne singula enarrando longum faciat, cetera brevitati studens sic compedifecit: Καὶ κ᾽ ἔργα διαθλήσαιμι γυναικός, & *opera feminea elaborare*, h. e. ea omnia exsequi, quae domi per sequiorem sexum expediri solent, ut *lanificium*, *panificium &c.* Itaque τὸ διαθήσαιμι mendose editum loco τοῦ διαθλήσαιμι, hujus versus quantitatem interceperat. Hesychio διαθλεῖν redditur ἐργάζειν, & Suidas addit, verbum διαθλεῖν cum accusativo necti; ut hîc ἔργα διαθλήσαιμι.

Vers. 153. Ἡ μὲν Τριπτολέμου. Subaudiendum hîc volunt vocem οἰκία. Quod equidem non improbo; attamen si cui ea ellipsis nimis e longinquo petita videbitur, is in proximo habet (vers. 150.) vocem τιμὴν, quam huc opportune conferat.

Vers. 157. Τάων οὐκ ἄν τις σε κατὰ πρώτιςον ὀπωπὴν
Εἶδος ατιμήσασα, δόμων ἀπονοσφίσειεν.

Emendandum mihi videtur ὀπωπῆς, ut sit sensus *ad primam aspectus speciem*; & ut metri quantitas sibi constet, legendum cum duplice sibilante littera ἀπονοσφίσσειεν, ut Homero νοσφισσαμένην, Odyss. Φ. 77. 104. quemadmodam in elegantissima Glasguae editione anni CIↃIↃCCLVIII. emendate legitur.

(1) Vers.

(1) Verf. 208. Οὔτ' ἄρ ἐπηλυσίη δηλήσεται, οὐδ' ὑποταμνόν.

Οἶδα γὰρ ἀντίτομον μέγα φέρτερον ὑλοτόμοιο.
Οἶδα δ' ἐπηλυσίης πολυπήμονος ἐσθλὸν ἐρυσμόν.

Conjecit Cl. Ruhnkenius, tum ὑποταμνὸν, tum ὑλότομον, effe certa herbarum vocabula, ad maleficia potentium; quamvis ipfe mox fe recipiens, de vera utriufque vocis acceptione defperarit. Contra mihi facillima videtur carminis fententia, fi pro ὑποταμνὸν (quae vox totum faceffit negotium) legatur ὑποτάμνων. Ὑποτέμνειν feu ὑποτάμνειν, ut ipfa fert etymologia, *fuccidere* notat, non fine tamen adjuncta doli fallaciaeque fufpicione; indeque paffim traducitur ad illud fignificandum, quod quoquo modo *adverfatur*, *obfiftit*, *intercipit*. Hic autem fermo eft de praeftigiis & veneficiis, quae plerumque carminibus, atque incifionibus herbarum parari, mos erat: praeterea τὸ ὑποτάμνων conjungitur cum τῷ ἐπηλυσίη, quod eft indubium incantationis vocabulum; hinc facile fuadetur, ut ὁ ὑποτάμνων (participium fcilicet pro verbali ὑποτομεὺς, ut faepe fit) intelligatur *dolofus herbarum fector*, *veneficus*; quod clarius fit ex notione τοῦ ὑλοτόμου, de quo jam dicendum. Duo fe in numerato habere jactat Ceres, *alexipharmacum*

P fci-

(1) Ampliffimis laudibus Pindemontius ornat trium horum verfuum lectionem, utpote ab Ignarra feliciffime adfecutam; illiufque verba in fuam Praefationem honoris gratia transfert. CASTALDIVS.

scilicet (*ἀντίτομον*) & *amuletum* (*ἐρυσμὸν*) quae incantamentis & veneficiis opponat. Cum autem *ἐρυσμὸς* adversatur *ἐπηλυσίῃ*, verisimile est, *ἀντίτομον* opponi *ὑλοτόμῳ*, h. e. *veneno in sylvis succiso*. Enimvero *ὑλότομον* ex ipsa vocabuli potestate *venenum* quidem non significat; ut neque *ἀντίτομον* ex suapte vi *alexipharmacum* notat: at quia usus obtinuit, ut *τὸ τέμνειν* in medicamentis parandis passim adhiberetur, & *ἀντίτομον* pro alexipharmaco caperetur; facile est intelligi, ubi *τὸ ὑλότομον* opponitur *ἀντιτόμῳ*, ut hoc pro *alexipharmaco* usurpatur, sic illud pro *veneno in sylvis succiso* esse capiendum.

Vers. 245. Πόλεμον τε, φύλοπιν αἰνὴν
Αἰὲν ἐν ἀλλήλοισι συναυξήσουσ' ἤματα πάντα.

Cl. Runckenius hic monet: *Metri ratio postulat, ut legatur*

Αἰὲν ἐν ἀλλήλοισι συναύξουσ' ἤματα πάντα

quod etiam probabat Valckenarius noster. Ratio quidem metri postulat ut redundantia syllabae in συναυξήσουσι recidatur; at vero vaticinii ratio quoque flagitat, ut quae praedicuntur, futuro tempore efferantur, quale certe non est συναύξουσι. Quamobrem mihi videtur, hymnographus scripsisse συνάξουσι,

Αἰὲν ἐν ἀλλήλοισι συνάξουσ' ἤματα πάντα.

nam συνάγειν φύλοπιν (*committere praelium*) trita est formula, & hic sane convenientior, quam συναύξειν.

Vers. 301. Καλέει σε πατὴρ Ζεὺς ἄφθιτα εἰδώς. Supple μήδεα ad normam Homericae locutionis Il. ω. 88.

88. Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς, ut monuit hîc cl. Ruhnkenius. Ceterum τὸ ἄφθιτα εἰδὼς non minus Homericum est, quam ἄφθιτα μήδεα εἰδώς· namque Homerus qui Il. H. 278. πεπνυμένα μήδεα εἰδὼς antetulit; saepius alibi in πεπνυμένα εἰδὼς contraxit. Haec eo consilio monui, ne proba lectio Moscovitici codicis sine justa causa sollicitetur.

Vers. 305. Αἶτις ἔπειτα μάκαρας θεοὺς αἰὲν ἔοντας· cl. Valckenario visum fuit, *ex hoc versu* Πατὴρ, *aut simile Jovis nomen excidisse*. Darem libenter manus, si hoc addito fulcro, laboranti versui, prout res poscit, succurreretur. Profecto sic versum constituerem:

Αὖτις ἔπειτα θεοὺς μάκαρας ζεὺς αἰὲν ἐόντας.

Nunc reddenda est causa correctionis, simul & origo erroris aperienda. Equidem existimo, antea fuisse in posteriore versûs parte aberratum, quam prior ejus pars mutilaretur: aberratum est autem, τῷ ζεὺς in θεοὺς commutato in hunc modum:

Αἶτις ἔπειτα θεοὺς μάκαρας θεοὺς αἰὲν ἐόντας.

Qui elementa utriusque vocis ζεὺς nimirum & θεοὺς, ferme similia contemplatur, facile librario humanitus quid passo, veniam largietur. Hoc autem παρόραμα fraudi porro fuit, ut aliud facinus admitteretur. Namque alius hujus codicis scriptor, non valde diligens, & ut res ipsa prodit, ἄμουσος, animadvertens vocem θεοὺς otiose bis inculcari, incuriose inde eam vocem submovens & mutilans, ubi eam servari maxime oportuisset, sic exaravit:

Αὖτις ἔπειτα μάκαρας θεοὺς αἰὲν ἐόντας.

P 2 Quo

Quo ſane duplici errore, παροράματι ſcilicet & mutilatione, factum eſt, ut hic verſus, ſicut in Moſcovitico codice exhibetur, dextrâ laevâque peccaret. Sic ſentio.

Verſ. 324. . . . Ἠδ' ἐπ' ἀτλήτων
Ἔργοις θεῶν μακάρων μητίσετο βουλῇ.
cl. Ruhnkenius, numquam mihi ſine laude nominandus, ſic corruptum hunc verſum reſtituit:
. . . . ἦτ' ἀτέλεστον
Ἔργοις ἀθανάτων μακάρων μητίσατο βουλήν.
Equidem hujuſmodi correctioni plauſum facerem, niſi praeferrem per veſtigia editae lectionis incedere, quam novum ex ingenio effugium excogitare. Hîc autem totum carcinoma, quod versûs metrum pariter & ſententiam infuſcat, in una voce, Ἔργοις nempe, ſtabulatur; quae vox, manifeſto ſucciſa, ſic diducenda eſt atque amplianda, ut conſociata cum ſequenti voce θεῶν, integram penthemimerim conficiat. Nihil autem & ad metri rationem, atque ad ſententiae perſpicuitatem aptius, & quod magis ad editam lectionem accedit, mihi profecto ſuccurrit, quam Ὀργισθεῖσα θεῶν. Et fortaſſe vox Ὀργισθεῖσα compendii cauſa in Ὀργισθα θεῶν contracta, librario codicis Moſcovitici impoſuit, ut in Ἔργοις θεῶν eam deformaret. Quae mea conjectura ſi arriſerit, tunc verſum, quam minima mutatione adhibita, ſic legere licebit:
. . . . ἡδ' ἐπ' ἀτλήτων
Ὀργισθεῖσα, θεῶν μακάρων μηνίζετο βουλῇ.
Hac autem (Proſerpina) *ob intolerandum caſum* (raptum

ptum ſcilicet & matris deſiderium ; quae ſane ſunt ἄτλητα) *ſuccenſens*, *beatorum deorum voluntate iram concoquebat*: nam μηνίζειν ſeu μηνιᾶν, non ſimpliciter iraſci, ſed in ira perſeverare notat, uti monuit H. Stephanus. Quam minima dixi mutatione; nam quod μηνίσετο in μηνίζετο refinxerim, id plane nauci non eſt; namque infra verſu 345. mendoſe etiam δεσπόσεις pro δεσπόζεις legitur.

Verſ. 351. Ῥοιῆς κόκκον ἔδωκε φαγεῖν μελιηδέα λάθρῃ. Quid doctiſſimum Ruhnkenium moverit, ut pro λάθρῃ ſubſtitutum vellet δαῖτα, omnino non capio; nam quod infra verſu 392. hymnographus ſcripſerit, Ῥοιῆς κόκκον, μελιηδὲ ἐδωδήν, nihil inde certi praeſidii adſciſci poteſt, ut edita lectio expungatur. Ceterum illud adverbium λάθρῃ opportuniſſimum hîc eſſe reor, ideo additum, ut intelligeretur, quicquid in virginem Proſerpinam a Plutone admiſſum, id *furtim* ac ſe repugnante, accidiſſe. Quid autem ſit *pomum comedendum tradere*, pluribus docet Lipſius Antiq. Lect. III. quorum ſumma huc redit, veteres ſub allegorica *horti* & *pomi* notione luſiſſe, ubi quid ſubturpe intellectum vellent. Huc etiam pertinere mihi videtur, quod Pauſanias *Achaic. cap.* 17. narrat, Sangarii amnis filiam, ubi decerptos amygdali fructus in ſinum abdidiſſet, matrem evaſiſſe. Operae autem pretium foret rimari, undenam primum hujuſmodi allegoria initium duxerit; an ex praeſcripto Solonis, praecipientis (quemadmodum narrat Plutarchus in Γαμικὰ Παραγγέλματα prope ab initio) ut conju-

ges,

ges, priusquam convenirent, malum Cydonium manderent? an ex eo quod monuit Arnobius lib. V. (mihi pag. 86.): *Antea mos fuerat in allegorica dictione, honestissimis sensibus obumbrare res turpes, & foeda prolatu honestorum convestirier dignitate?* Hoc verisimilius puto; indeque obtinuisse existimo, ut poëtae a Fescennina loquendi licentia temperantes, *pomorum* allegoria delectarentur. Quae contecta scribendi ratio etsi passim in tralaticium morem abierit; omnino tamen non omnino probo Cornelii Agrippae commentum, qui in *Declamat. Pecc. Orig.* non aliter hortum Edenicum, & pomum a prima genitrice gustatum, interpretatur.

Vers. 365. 366. Ἡ δὲ ἰδοῦσα
Ἤϊξ', ἠΰτε μαινὰς ὄρος κατὰ δάσκιον ὕλης.
Displicet eruditissimo Ruhnkenio comparatio Cereris a Maenade sumpta, *Nam quis*, inquit, *sana mente praeditus, matrem ad conspectum filiae, quam periisse putabat, exsultantem, Maenadi similem facit?* quamobrem ipse pro Μαινὰς reponit Κεμμὰς, quod Hesychio redditur ἔλαφος νέος, *hinnulus*. Sed id necesse non judico; nam in ea comparatione Maenadis, non furor, & omnimoda mentis abalienatio, sed potius incompositi motus, cujusmodi Maenadum erant, spectandi sunt: quos motus incompositos animus inopinato casu perculsus, vel ob intemperantem laetitiam, vel ob nimiam trepidationem, coërcere & comprimere vix & aegre potest. Sic certe in utraque fortuna sequior praesertim sexus fecisse comperitur. Andromache de Hectoris viri incolumitate palpitans Homero Iliad.
X.

X. 460. describitur Μαινάδι ἴση, *lymphatae similis*. Heliodorus AEthiop. Hist. extremo lib. X. *Et Chariclia e tabernaculo procurrebat, ac neglecto naturae omni & aetatis pudore* (Βάκχιόν τε καὶ ἐμμανὲς ἐφέρετο) *Bacchico quodam & furenti impetu ferebatur, & ad genua Chariclis provoluta: O pater, dicebat, non minus mihi, quam qui me procrearunt, venerando*. Quid plura? Diana, non criminandi studio, sed, ut ex contextu patet, blandiloquentiae causa, Μαινὰς salutatur in hoc pulcherrimo Plutarchi loco *De Aud. Poët.* pag. 22. *Timotheo in theatro Dianam canenti* (Μαινάδα, θυάδα, φοιβάδα, λυσσάδα) *insanam, furiosam, divino instinctu concitam, rabidam; Cinesias statim occinuit: Talis tibi contingat filia.*

Vers. 391. Ἄταρ λάθρῃ: Corrige Αὐτὰρ ὁ λάθρῃ. Proserpina matri se purgans, pomum sibi traditum ait, h. e. vim sibi illatam λάθρῃ *furtim*, nolenti ac reluctanti, quasi diceret, λάθρῃ ἐμεῦ ἀέκητι, quod & paullo post vers. 393. planius exponit. Arnobius eodem lib. V. de Proserpinae raptu: *Ergone* (inquit) *ut promunt sancta illa atque arcana mysteria, rapiuntur & rapiunt Dii vestri? matrimonia copulant fraudibus appetita furtivis? ab repugnantibus & invitis decus virginitatis eripitur?*

Vers. 403. Παλλάς τ' ἐγρεμάχη. Cum multa sint in Hymno nostro, quorum auctoritatem defugit Homerus, tum praesertim hic, quem in manibus habeo, locus, facit, quominus Hymnum Poëtarum prin-

cip-

cipi adscribam. Millies prope dixerim, in Iliade & Odyssea occurrit Παλλὰς Ἀθήνη, vel Παλλὰς Ἀθηναίη; numquam tamen, quantum memini, Παλλὰς sine Ἀθήνη comparet; etsi saepe saepius Ἀθήνη sine commilitio Παλλάδος se dat conspiciendam. Id quod explorato mihi est argumento, partus eos (cujusmodi est hic hymnus) qui Παλλάδα solitariam referant, Homero esse abjudicandos.

Vers. 408. Περὶ χάρματι. Doctissimo Ruhnkenio τὸ περὶ χάρματι mendosum videtur. Ita prorsus est. Legesis περὶ χάσματι. AEquales & sociae Proserpinae alio alia per campum digressae, in floribus colligendis occupabantur; ipsa vero, sic ferente fato, illuc perrexerat, ubi soli indoles inferne chasmatibus tumescebat. In narcissum ipsa oculos curiose conjeceerat, quem cum utraque manu radicitus revellere esset connisa (supra vers. 5.); tellus, quae radicum complexu & compage specum infernam occultabat, desedit; hinc patefacta est janua Ditis. Hanc terrae labem matri filia expositura, se narrat tunc περὶ χάσματι fuisse versatam. Hinc dicere pergit: γαῖα δ' ἔνερθε Χώρησεν.

Vers. 430. seq. Ἀλλὰ ἕκηλον Εἱστήκει παγάφυλλον. Rectissime ut mihi videtur, τὸ παγάφυλλον, quod nihili est, in πανάφυλλον refictum; sed τὸ ἕκηλον immutatum in ἀπέτηλον noluissem. Non minus apud Latinos quam apud Orientales terra dicitur *quiescere*, *otiari*, *feriari*, cum neque seritur, neque plantatur:

tatur: hoc ipſum notat Εἰςήκει ἔκηλον q. d. *otium agitabat*. Heſych. Ἔκηλος, ἥσυχος. Rharius autem campus, tametſi aratro ſciſſus & bene cultus (ſupra v. 288.) tamen Cereris dolo ſic feriabatur, quaſi eo anno cultura intermiſſa fuiſſet. Eo etiam pertinet τὸ πανάφυλλον, campi pene glabreſcentis indicium.

Verſ. 435. Βρυσέμεν ἀςαχύων, τὰ δ' ἐν ἐλλεδανοῖσι δεδέσθαι. Cl. Ruhnkenius τὸ βρύσεμεν recte emendavit in βρίσεμεν, & mox indicato Heſiodi loco Aſp. 289. unde hymnographus noſter profecerat, ſic de eo quem in manibus habemus loco, judicium ſuum profert: *Sed locus nec ſic quidem perſanatus eſt; nam neque Genitivus* ἀςαχύων *pro Dativo poſitus mihi placet, nec ipſa vocis repetitio* (nam paullo ante verſ. 433. rurſus ἀςάχυες comparent), *ut alia taceam*. Equidem non moveor, quod hymnographus genitivum ἀςαχύων cum βρίσεμεν copularit, contra ac Homerus, qui Odyſ. T. 112. cum tertio, vel ſi mavis, ſexto caſu τὸ βρίθειν connectit; namque ille tueri ſe poteſt auctoritate Heſiodi, qui loc. cit. πέτηλα βριθόμενα ςαχύων cecinit, & ubi ſubintelligi praepoſitionem ὑπὸ Guietus monuit; moveor magis, quod vox ςαχύων bis in eadem periocha ad nauſeam inculcatur: qua in re neque Heſiodum, neque Homerum Iliad. Σ. 550. ſeq. (unde Heſiodus ſua hauſerat) ſecutus ille eſt; nam ex utroque poëta voculas noſter aucupatus eſt, quas in rem ſuam congereret. Uterque autem poëta, ut legenti patet, ſegetes ob oculos graphice ponunt, ubi hae ad maturitatem pervenerint, ubi demetun-

tur, atque ubi demum rediguntur in manipulos. Hos imitaturus hymnographus rem ipſam ſicce jejuneque expreſſit: itaque ut exemplar prototypo reſpondeat, ſic hymni locus interpungendus & legendus mihi videtur:

. . . . πέδω δ' ἄρα πίονες ὄγμοι
Βρίσεμεν, ἀςαχυῶντα δ' ἐν ἐλλεδανοῖσι δεδέσθαι.

ſpicata (h. e. calamos cum ſpicis; namque olim calamorum manipuli, non excuſſis ſpicis, in horrea importabantur) *in manipulos colligari*. Vocem ἀςαχυῶντα hymnographo noſtro debemus, & bona quidem cum gratia; nam etſi in hodiernis lexicis non comparet, ex analogiae regula rite formatur ex ςαχυόω, praefixo α epitatico.

Verſ. 477... Τάγ' οὔπως ἐςὶ παρεξέμεν, οὔτε πυθέσθαι
Οὔτ' ἀχέειν' μέγα γάρ τι θεῶν ἄχος ἰσχάνει αὐδήν.

Mallem διεξέμεν *ediſſerere*, nam ſequitur πυθέσθαι. ſic ut violati arcani religione teneri oſtendatur, non minus qui res inſandas audierit, quam qui prodiderit. Videtur tunc moris fuiſſe, ut ſi quid impie dictum, aut myſterium ſacrilege proditum intelligeretur, continuo adſtantes, ne in conſortium admiſſi facinoris arceſſerentur, aures manibus obſtruxerint. Judaei Act. Apoſt. VII. 56. a concione Stephani, quam Deo injurioſam arbitrabantur, συνέχον τὰ ὦτα αὐτῶν, *continuerunt aures ſuas*, immiſſis utique in aures digitis; ut plenius ea phraſeologia legitur apud Plutarchum in vita Catonis minoris pag. 783. Edit. Francf. CIↃIↃCXX. ἐπισχόμενος ὁ Κάτων τὰ ὦτα ταῖς χερσὶν ...

ἐκώ-

ἐκώλυεν ἀναγίγνωσθαι τὴν μαρτυρίαν: *obturans Cato manibus aures prohibuit illud testimonium recitari*. Itaque nefas fuisse videtur, & arcanum vulgare, & illud audire. Hinc in Hymno nostro jungitur, Παρεξέμεν, & Πυθέσθαι. De qua hujus loci acceptione adeo certus sum, ut si quis τὸ παρεξέμεν non sollicitandum contendat, ea me conditione obsequentem habuerit, modo τὸ παρεξεῖναι hîc eadem notione, ac τὸ διεξεῖναι, donetur. Sequitur: Οὔτ' ἀχέειν, *a luctu abesse* interpretantur; quod mihi non placet; namque ut ut verum est, a sacris Cereris tristitiam penitus esse eliminandam; quid hîc *luctus* cum arcano quoquo modo tuendo, commune habet? Quamobrem si quid mihi conjiciendum datur, legerem:

Οὔτ' ἀχανεῖν μέγα γάρ τι θεῶν ἄγος ἴχανει αὐδήν.

Neque hiscere. Hoc ad amplificandam magis magisque arcani custodiam additur, ut insinuaretur, sacrilegos fore reputandos non solum, qui exserta voce; sed illos etiam, qui ore hiante & quasi ad loquendum prorumpente, mysteria prodidissent. Sequitur enim: θεῶν ἄχος (corrige, doctissimo Valckenario praeeunte, ἄγος) *Deorum reverentia vocem comprimit.* Verbum ἀχαίνειν non ignotum Hesychio fuit, qui κολακεύειν &c. reddidit; sed hîc idem sonare ac χαίνειν, praeposito *a* epitatico, quis dubitaverit?

RISPOSTA

ALLE DIFFICOLTA' PROPOSTE

DA

D. FRANCESCO TARDIA.

I. NOn ſi moſtra il Signor Abate Tardia contento della correzione da me fatta all'Iſcrizione Gruteriana (912. 8.) di Φαβια in Φλαβια , ſul motivo , che potea eſſerci in Napoli non meno la gente *Fabia*, che la *Flavia* , col cognome di *Zoſimo* . Quando ſi tratta di poſſibili , tutto va bene , e niente può fondatamente metterſi in dubbio ; ma un uomo ſavio dee, per quanto ſi può, attenerſi al vero o veriſimile, e non al poſſibile. E' certo da' marmi originali, che foſſeci ſtata in Napoli la gente *Flavia di Zoſimo* . Or leggendoſi in Grutero un' epigrafe Napoletana di *Fabia Zoſime*, è troppo ben fondato il ſoſpetto, che la ſcrittura Gruteriana ſia guaſta, e che ſi debba emendare co' marmi, che tuttora ſuſſiſtono. E poi in tal mia correzione credo d' eſſermi portato con ſomma circoſpezione; poichè ho detto, *videtur*., e più ſotto, *ut puto* : le quali eſpreſſioni , ſiccome mi aſſolvono dal vizio della temerità , così non mi fanno baſtantemente penetrare lo ſpirito della difficultà , che mi ſi propone .

II. Si fanno le maraviglie (ſe ben comprendo le parole eſpreſſe nel ſecondo articolo delle difficoltà)

tà) come avessi fatto lottar Archibio ragazzo con uomini avvanzati in età, e poi dopo due olimpiadi avessi posto lo stesso Archibio già provetto a contrasto con gli sbarbati. Dissi nella mia opera, che talvolta si permetteva, che si azzuffassero insieme *Pueri cum viris*, del qual costume può vedersi il Fabri negli Agonistici. Or tal mia proposizione è di quella specie di raziocinj, che gli Scolastici dicono *ad convertendum*. Sicchè se si permetteva talvolta, che i ragazzi lottassero *cum viris*; dee supporsi, che altre volte comparissero nel ginnasio *viri cum Pueris commissi*.

III. Si passa alla decadenza della pittura e della scultura, che io attribuisco alla disusanza de' ginnasj; ciocchè non soddisfa molto. Potrei a mio favore addurre le approvazioni, che ne ho riscosse da' professori dell' arte in Roma. Potrei difendermi con quella continua esortazione, che facea Michelangelo Buonarroti a' suoi scolari, di studiar sul *Nudo*, e che egli stesso praticava col contemplar di continuo fino alla sua vecchiaja il famoso *Torso*, detto di Belvedere. Ma io mi contento di far riflettere, che quando io dico, che la decadenza dell' arte fosse derivata dall' intermissione e chiusura de' ginnasj, ciò debba intendersi in tutto il suo ampio significato, di ginnasio per palestra, e di ginnasio per le scuole, le quali stavano aperte nel ginnasio, non solamente per gli esercizj filosofici, e rettorici, ma ancora per le belle arti, e tra queste pel disegno. Chiuse dunque le scuole, e mancato il comodo d'apprendere dalle vi-

ve

ve rappresentanze la scienza del nudo, e le varie mosse della persona, era necessaria conseguenza, che venisse meno quell' arte, che dalla scienza del nudo riceveva il suo spirito. Nè fa molto a proposito, che in tale circostanza di tempi, se s' ignorava il nudo, dovea (come uom dice) sapersi il panneggio. Suppongo che ciò sia stato detto per mera lepidezza. Del resto il vestito non è, che un' appendice della persona: sicchè non curando più la gente di ben esprimere il principale, meno studio dovea mettere per l' accessorio. Mi ha fatto poi molta specie, che siesi data una strana interpetrazione a quel luogo di Plinio, ove parlando della Pittura, *Nunc vero*, egli dice, *marmoribus pulsa*, *jam quidem & auro*, aggiugnendosi, che: *Il passo di Plinio par che dia il crollo alla pittura, ma confermi la scultura. Dicendo egli, che la pittura era stata sbandita da' marmi e dagli ori; sembra, che il gusto allora corrente, scostandosi dalle tele, si era appiccato a' marmi e agli ori, onde la scolpitura riceve la materia*. La pittura e la scultura son due arti, che talmente vanno d' accordo, che quando l' una fiorisce, l' altra è parimente in reputazione; e se quella manca, neppure questa sussiste. Per negar questa verissima proposizione, fa d' uopo di uno spirito di contraddizione, inflessibile alla ragione e all' esperienza. Plinio dice, essere a' tempi suoi stata bandita la pittura; dunque si vuol credere, che neppure la scultura fosse stata coltivata a dovere. Anche Petronio Arbitro si querelava dell' avvilimento della pittura a' suoi dì; non per questo è da sospettarsi, che

che la ſcultura foſſe ſtata più ben trattata della pittura : *Noli ergo* (dice Petronio) *mirari*, *ſi PICTURA defecit*, *cum omnibus Diis hominibuſque formoſior videatur maſſa auri*, *quam quidquid APELLES*, *PHIDIASQue . . . fecerunt*. Egli dice ſolamente, eſſer mancata la pittura, e ſoggiugne, che le opere di Apelle e di Fidia non valevano un frullo al confronto dell'oro: or eſſendo ſtato il primo pittore, e l'altro ſtatuario; con ciò dà ad intendere, che non meno la ſcultura, che la pittura eran neglette; non oſtante che egli ſi foſſe della mancanza della ſola pittura querelato. Sicchè i marmi e gli ori, che ſecondo Plinio bandirono la pittura, non più ſomminiſtravano, come prima, materia alla ſcultura; ma di eſſi faceaſi altro uſo; come d'incroſtar di marmi le pareti in vece di pitture; e di formar d'oro la ſuppellettile domeſtica, in cui ſi ſtimava più il prezzo della materia, che il nobile artificio, e la maeſtria del lavoro.

IV. Ho detto nella pag. 150. che l'Εὐανθῆ del noſtro marmo non ſia da condannarſi, e che poſſa eſſere terzo caſo, dedotto da Εὐανθὴς; il qual nome, ſebbene ſia della claſſe de' contratti, ſia ſtato però declinato a tenor de' ſemplici; ſiccome è ſtato ciò oſſervato da' Grammatici in alcuni nomi nel quarto e quinto caſo. Da queſta preciſione di caſi, oſſervati da' Grammatici, ſi prende argomento di condannar di ſcorrezione il noſtro marmo, appunto per non dipartirſi dal ſentimento de' Grammatici. Ma è forſe coſa nuova, il ritrovarſi nelle antiche iſcrizioni infleſſioni

non

non ancora avvertite da' Grammatici? E a chi mai è venuto in testa di reputar erronee tutte le novità de' marmi e de' bronzi? le quali novità, se non sono da imitarsi, meritano però e rispetto e riverenza. Nella pag. 235. n. 4. ho recato un altro esempio, similissimo all' Εὐανθῇ. Ma Ella mi ripiglierà, che l'osservazione del terzo caso ne' nomi di tal fatta, non è stata finora avvertita da' Grammatici. Dunque, secondo questo raziocinio, sarà delitto per uno, se potrà vedere un poco più in là di quello, ch'è stato da altri finora veduto. Indi poi Ella condanna la scrittura del nostro marmo di βραβιον in luogo di βραβειον. La mancanza della prepositiva nel dittongo di questa voce, non è così strana ed irregolare, quanto Ella la crede. E circa gli accenti e la loro antichità; quando io citai Plutarco, non intesi appellare all'originale di Plutarco, che più non ci è; ma all' odierna edizione di Plutarco, in cui sono e accenti e spiriti. Del resto non è quì luogo da discutere l' antichità degli accenti; ma di grazia si osservi la pag. . . del II. Tomo delle antichità di Ercolano: ivi troverassi accennato ciocchè potrebbesi su tal argomento diffusamente discorrere.

V. Nel IV. articolo si dice: *Che l'uso del greco linguaggio durato aver potesse in Napoli a' tempi di Augusto, non è necessario ricorrere alla scoperta d' Iscrizioni Greche di quei tempi*. Io non mi son servito di questo solo indizio per dimostrare il Grecismo Napoletano sotto Augusto; anzi l'ho rilevato piuttosto dalla forma della Repubblica, dagl' istituti, e magistrati

ti Grecanici . *Nè tampoco in conseguenza di queste doversi credere opera di Greci peregrini*, *come nella sez. 2. del §. 3. della Diatriba pag.* 175. Così dovea io dire per rintuzzar coloro , i quali dal veder alcune poche iscrizioni Greche in Napoli nel secondo e terzo secolo della Chiesa , avean sognato , essere stato greco il linguaggio in Napoli , e greca altresì la forma della Repubblica : e di fatti tutte queste recenti iscrizioni Greche appartengono a peregrini.

VI. *Nella sez.* 1. *del* §. 4. *della seconda parte della Dissertazione al c.* 5. *pag.* 184. *io non ben comprendo*, *come Pozzuolo dicasi aver ricevuto il dritto di Colonia da Nerone per testimonianza di Tacito* , *quando dall' anno* 560. *ab V. C. dicesi di essere divenuta Colonia* . Certamente da questo luogo della mia dissertazione, non si rileva la soluzione del quesito; ma questa sarebbe trovata se si avesse avuta la pazienza di leggere ciocchè avea io stesso scritto al fine della n. 8. alla pag. 171. Non posso però digerire quello che poco appresso si dice , che tra l' una Colonia e l'altra di Pozzuoli, si fosse ivi mantenuto il linguaggio greco . Si persuada pure ogniuno , che Pozzuoli da che fu città, non fu mai greca. Prima chiamavasi *Dicearchia* , e fu navale de' Cumani . I Cumani già diventati cittadini Romani , ottennero dal Senato la facoltà di parlar latino pubblicamente nell' anno V. C. 573. (si vegga ciò che ho detto di tal facoltà nella n. 2. della p. 95.) Pochi anni prima, cioè nel 560. fu portato in *Dicearchia* una Colonia Romana, e le fu cambiato il nome in *Pozzuoli*. Da

 que-

questo anno in poi non si trova il menomo vestigio di grecismo Pozzolano nè negli scrittori, nè nelle iscrizioni. Gli scrittori quando parlano di Pozzuoli, ne parlano sempre come di città Latina, appartenente a Roma o per ragion di Colonia, o per ragion di Municipio. Le iscrizioni pubbliche son tutte tutte latine, senza che possa mostrarsene neppure una in contrario; e quelle poche greche che sopravanzano, son di uomini stranieri.

VII. *Che delle monete greche* (di Pozzuoli) *riferite dal Goltzio debbasi far poco conto, per non ritrovarsi nell' esimio medagliere del Signor Duca di Noja, non mi persuade interamente.* Non sarebbe per altro questa la prima o inavvertenza o impostura del Goltzio. Del resto non solamente nel medagliere del Duca di Noja non si veggono medaglie greche di Pozzuoli; ma presso niun altro; e niuno può dire in verità d' averne vedute co' proprj occhi. Ma come posson mai vedersi, se la detta città, come di sopra ho detto, da che fu Colonia Romana, e chiamata Pozzuoli, non fu mai città Greca? Ho una medaglia di Napoli ben conservata, e scritta in questa maniera: ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ, ove la linea traversa del Π è tirata per error del conio un poco più del dovere alla parte sinistra, sicchè comparisce come un gruppo di due lettere, cioè il T e l' I. Or suppongo io, che una simile medaglia fosse pervenuta in mano del Goltzio; e poichè forse le prime due lettere erano alquanto cancellate, nè ben si distingueano, credette egli che appartenesse a Pozzuoli; onde

de colla solita sua franchezza lesse ΠΟΤΙΟΛΙΤΩΝ. Se avessi avuto in tempo questa medaglia, avrei, quando di ciò trattai, scoverta l'origine della svista del Goltzio.

VIII. *Che le Colonie Romane dalla feccia della plebe composte, avessero usate parole barbare in apporre i nomi proprj a' luoghi, come dicesi nella n. 6. pag. 186. sarebbe da confermarsi con qualche esempio.* Nè in questo, nè in altro luogo, mi son sognato mai di dire, che le colonie Romane si fossero servite di nomi barbari a disegnar i luoghi, che da loro si abitavano.

IX. Non si approva la mia congettura, che sia espresso nel bue barbato il famoso Acheloo, come simbolo dell'abbondanza; e s' inclina piuttosto a crederlo il genio de' fiumi. Io non saprei su ciò come risponderle; e quando non l'ha soddisfatto tutto quel mio lungo ragionamento, diffido ora di poter soddisfare in poche parole. Ma pure mi ci proverò. I. Il tipo del bue barbato non si vede altrove, che sulle medaglie dell'Etolia, e della regione confinante, sulle medaglie della Grecia Italica, e della Sicilia. Or se sotto tal sembianza non si fosse altro simboleggiato, che il genio de' fiumi; dico io, e diranno con me cento altri, come e per qual ragione, essendo il culto de' fiumi antichissimo e sparso da per tutto, non sieno stati i fiumi effiggiati della stessa maniera nelle monete degli altri paesi? Si vuol dunque pensare a cosa tale, che così convenga all'Etolia, alla Magna Grecia, e alla Sicilia, che non possa egualmente bene

adattarsi all' altre regioni. II. Delle tre suddette regioni convien farsi carico della prima, cioè dell' Etolia nella Grecia oltremarina, più antica della Grecia Italica, e Sicula. Siccome chi volesse ritrovar il significato della civetta sulle monete, a prima vista contemplerebbe le monete di Atene, sulla persuasione, che tale tipo fosse stato da Atene trasportato in altre città. III. Il bue barbato nelle medaglie di Etolia sicurissimamente esprime l' Acheloo: in quella regione regnò Acheloo, e ivi, secondo la favola, si trasformò in toro; ma come dice Sofocle, *con testa di bue in figura virile*. E in fatti i più accreditati antiquarj riconoscono nel bue barbato delle medaglie di Etolia la trasformazione di Acheloo. Or se assolutissimamente dee chiamarsi Acheloo quel mostro biforme delle monete di Etolia; non saprei con quanta ragione si possa negare questo stesso nome al bue barbato, che s' incontra nelle monete della Magna Grecia, e della Sicilia. IV. L' Acheloo dell' Etolia, come lo spiega chiaramente Diodoro Siculo, è il simbolo dell' abbondanza; quindi possiamo con verisimiglianza sospettare, che un simile significato debba darsi al bue barbato, o sia all' Acheloo della Magna Grecia, e della Sicilia. E questo è il mio sistema; il quale, se l' amor proprio non m' inganna, sembra il più semplice, e 'l meno soggetto ad opposizione. E per prevenire la difficoltà, che mi si sarebbe potuto fare, come il detto simbolo dell' Acheloo si fosse solamente ristretto nella Grecia Italica e Sicula; ricorsi al commercio delle Colonie, per cui si veggono le

le costumanze di un popolo trasportate in un altro. Le più antiche colonie passate dalla Grecia oltramarina nella nostra, furono, secondo l'espressa autorità di Strabone, le colonie de' Calcidesi, per mezzo delle quali sospettai, che un tal simbolo fosse stato partecipato a' nostri Greci: quindi approvai il sentimento di Scaligero, cioè, che i Calcidesi, descritti come primi fondatori di colonie Greche in Italia, non fossero venuti a dirittura dall'Eubea, ma sì bene dalla Tesprozia, Etolia, ed Acarnania: e così si concilia bene, come Cuma nostra, fondata da' Calcidesi, talvolta si dica *Euboica*, e talvolta *Thesprota*; appunto perchè gli uni considerarono i Calcidesi nella loro prima origine Euboica, e gli altri li ravvisarono come inquilini della Tesprozia; in cui essi abitarono per qualche tempo, prima che passassero in Italia. I Calcidesi dunque avvezzi al tipo dell'Acheloo, solito emblema dell'Etolia, lo rinnovarono in Italia, e in Sicilia; non maggiormente per conservar la memoria del luogo, onde erano usciti (come fecero gli Ateniesi della civetta, che improntarono nelle monete delle loro colonie); quanto perchè l'Acheloo, simbolo della fertilità, a niuna altra regione meglio calzava, quanto all'Italica e alla Sicula, la di cui feracità superava di gran lunga l'Etolica. Con tal sistema agevolmente si spiega 1. perchè nella sola Magna Grecia, e Sicilia, ed Etolia si vegga il tipo del bue barbato, e 2. si conferma il sentimento di Scaligero, il quale divinamente avea detto, che dalla Tesprozia, e non dall'Eubea, fossero i Calcidesi passati in Italia.

X.

X. *La forma della Sigma lunata non esser marca, che facci espungere dall' antichità le Iscrizioni, che la recano, si prova dal Principe di Torremuzza . . . Sicchè la forma lunata di essa lettera non credo offendere l' antichità dell' Iscrizione recata a pag.* 300. Per anteriore che sia all' età di Augusto la forma del (C) sigma lunato, non potrà mai e poi mai mettersi in dubbio, che l' altra figura del Σ, sia di gran lunga più antica del C. E a proposito dell' iscrizione recata da me alla pag. 300. tanto è lontano, che io l' abbia per questo cassata dall' antichità, che alla fine della n. 20. della pag. 301. ho promosso un sospetto, se fosse stata scolpita a' tempi di Gerone Siracusano.

Di Napoli il dì 24. di Agosto CIↃIↃCCLXXI.

ORATIO
IN FVNERE
MARIAE AMALIAE WALBVRGAE
HISPANIARVM REGINAE

NImirum hoc illud erat quod anno ſuperiore, claſſe ex hac urbe ſolvente, Regem CAROLVM ejuſque Auguſtam Conjugem MARIAM AMALIAM Hiſpaniae oris illatura, populus Neapolitanus veluti ſecuturae calamitatis praeſcius perinde indoluerit; ac ſi divulſa ſibi viſcera diſtraherentur. Et quamquam dies ille plurimis laetitiae ſignificationibus ſe ſe perſpicue commendaret; novi Regis Neapoli Siciliaeque dati renuntiatio populorum explevisset ſpem atque expectationem; apparatiſſima claſſis Italiae Hiſpaniaeque florem invehens triumphi ſpeciem cuivis objiceret; praeterea aequor adeo placide ſterneretur tempore non ſuo, ut inde appareret, vel ipſum Caelum communi laetitiae velificaturum: noſtra tamen civitas univerſa viſendi ſtudio ad littus effuſa transvectionem illam lacrymis ſuſpiriiſque diu proſecuta; domumque tandem revecta, adeo angebatur animo; ut non hilari ſpectaculo, ſed acerbiſſimo funeri interfuiſſe videretur. Enimvero cuique praeſagiebat animus, aliquam calamitatem florentiſſimo illi comitatui fore interventuram, quae diuturnam felicitatem interverteret ac funeſtaret. En quae fulmina a diſcedentium cervici-

bus

bus deprecabamur, ea mox utramque Regiam perculerunt. De nobis certe hoc sancte affirmare testarique possumus, tristissimo illo de Mariae Amaliae excessu nuntio ita in commune ac pro se quemque consternatos, tantae ut cladi superfuisse omnino pigeat. Nam quis non invisam illam vitam putet, quae in luctu ac squalore trahitur, praesertim cum spes non affulgeat immanem aliquando jacturam reparandi? Jactura autem tanta fuit, quantam ab hoste superbissimo victus vix timere posset. Quid enim atrocius in populos statui ab victore potest, quam iis dignitatem adimere, spem majoris amplitudinis succidere, vitaeque tempora sed sine laetitia ac hilaritate traducenda largiri? Plura his ac deteriora damna nostris publicis privatisque rebus acerbum Amaliae fatum importavit. En quo nostra dignitas, en quo conceptae spes abierunt! Mihi certe tanta oboriuntur argumenta tristitiae, ut verendum sit, ne mea oratio, quae more majorum minuendo luctui comparata esse debet, expectationem suam frustretur; neve citius incendat, quam suo laudationis officio maerorem abstergat. Itaque praeclarius mecum esse actum putarem, si aeternum in luctu silentium sequerer, quam in hac luce, atque in hoc conspectu amplissimo versarer. Verum, quandoquidem huc me amica compulit auctoritas, libeat per suspiria perque lacrymas, sicuti per pluvias multicolorem Iridem, sic Amaliae quoquo versum eximiarum virtutum stricturas jaculantis imaginem in conspectu vestro, Auditores, exhibere.

Atque ut inde usque incipiam: diuturni belli, quo

quo Italia; atque adeo universa pene Europa conflagraverat, adhuc scintillae quaedam supererant; cum Philippus V. Hispaniarum Rex augustissimus de quaerenda uxore filio suo Carolo sollicitus, secum ipse statuit, ut in auspicium pacis prospere connubia cederent, populosque luctu jacentes excitarent. Nec diu deliberandum sibi fuit, ecquam destinaret traderetque filio, quem nuper Neapolis Siciliaeque Regem renuntiaverat. Nimirum in Mariam Amaliam Walburgam Friderici III. Poloniae Regis Saxonici Electoris filiam conjecit oculos, quae tum cognatione plerosque Germaniae Principes contingebat, tum generosissimo sanguine, optima indole, egregiaeque formae dignitate ceteras multis partibus superabat. Et Saxonica quidem domus, etsi ad ea antiquitatis tempora pertinet, quae longo a nobis disjuncta intervallo vix discerni queant; tamen ejus origo splendidissima, ut inerrantes stellae vel immenso intercapedinis hiatu disterminatae, micat rutilatque. Ad nobilissimi generis antiquitatem accedebat oris majestas, in ejusque oculis tanta gratia cum decore certabat; ut ambigeres, majestas ne comitate, an comitas majestate temperaretur. Sed & incredibilem de ea expectationem conciebat exacta pueritia sub sanctissima matre sua Maria Josepha Josephi Austriaci Imperatoris filia; sub qua earum virtutum tirocinium posuit, quae in Italia vehementius exuberarunt. Quid plura? conciliantur nuptiae summo Regum plausu, quanta maxima sponsi utriusque consensione. Hic autem incredibile dictu est, quantopere Italicae urbes diuturna belli pertinacia fatigatae ex-

 sul-

ſultaverint. Dubii & incerti erant populi, & caeca ſpe atque expectatione pendebant, quid de capite, quid de vita, quid de liberis fortuniſque ſuis ſtatueretur. At Amalia, ubi Alpium juga tranſcendit, ex illa tamquam Italiae ſpecula, bono animo eſſe juſſit univerſos; firmatamque optatae pacis ſecuritatem ſe ſe attuliſſe, illa ſerenae frontis hilaritate ſatis ſuperque patefecit. Qua laetiſſimi nuntii ſignificatione, a ſitu ac ſqualore ad alacritatem, a maerore ad laetitiae voluptatem repente ſe quiſque traduxit. Quid porro mirum ſi Veneta Reſp. ſi Franciſcus III. Mutinae Dux, ceterique Italiae Principes certatim, quacumque illa incederet, inſignia ediderint ſuae quiſque hilaritatis argumenta? Supra ceteros tunc emicuit Clemens XII. Pont. Max. qui e latere ſuo Cardinalem ad Amaliam honoris ergo legavit; tantaque geſtivit laetitia; ut ſenectus ſua adventu ejus periculoſiſſimi metu belli ac ingenti trepidatione levata videretur. Interim vehebatur illa per mediam Italiam, non curru triumphali caedibus contaminato, nec enſibus adhuc hoſtium ſanguine rorantibus ſtipata; ſed morum innocentia, religione ac magnanimitate jam laete fruticantibus, quas ab aetate prima vigilantiſſima mater pectori ſuo inoculaverat. Quae ſelectiſſima virtutum cohors tum in puellae admirationem rapuit univerſos, tum vel maxime Sponſum Regem, qui extremis Regni finibus egreſſus flagranti deſiderio deſponſam ſibi conjugem praeſtolabatur. Praedicatione longe majorem illam fortunatiſſimus Rex deprehendit, ejuſque non pulcherrimam oris ſpeciem, non coloris venuſtatem

tem

tem, perfectamque totius corporis convenientiam ; sed eximias animi dotes mire suspexit, & amplexatus est. Itaque nihil ei longius fuit, quam ut laetitia elatus Neapolim superbissimo regioque apparatu instructam inter effusas populosissimae civitatis acclamationes conjugem suam inveheret.

Huc porro Amaliae virtus ex alieno solo traducta adeo feliciter radices egit ; ut Heroina Neapoli nata, atque educta esse videretur. Nam accessu primo Neapolitanorum dignitati commodisque non cura solum, studio, diligentiaque, sed & contentione maxima advigilavit. Vt Divorum templis nitor, ut urbi elegantia adderetur ; ut egenis, virginibusque paterent hospitia ; ut artibus ac litteris pretium statueretur, sic cum Conjuge suo connisa est ; ut eo dignitatis atque auctoritatis Regnum Neapolitanum evectum sit, quo jam pervasisse ipsae exterae nationes ex vero commemorant. Et Amaliae quidem singularem fidem, & perspicua summae prudentiae argumenta augustissimus Carolus sic fovit, sic in oculis gessit; ut eam in consilium rerum gerendarum sociam adscisceret, curasque Regnorum cum ea dispertitas haberet. Quo ex tempore, veluti si patentior exercendae virtutis suae campus ipsi obtigisset ; ita se praeclare gessit, ita operam suam omnino probavit ; ut nihil eorum praetermiserit, quae e re publica privataque esse viderentur.

Nam, ut a Divino cultu, unde omnium initia virtutum petenda sunt, ordiar ; nihil illa habuit sollemnius, quam Sacris quotidie adesse, templa frequenter

ter adire, viros pietate praestantes, virginesque ascetrias visere, natisque suis sanctiores religionis sensus instillare. Atque haec fortasse cum nonnullis illa habebat communia; illud praecipuum esse ac singulare puto, quod cum in turbulentissimis negotiorum fluctuationibus versaretur, ipsa tamen sic tranquille, sancte, casteque muneris sui partes exsequebatur; ut Divini Numinis causa nihil se non facere significaret. Hinc orta est illa sedulitas in conquirendis ex tota urbe feminis de honestate periclitantibus, septoque uno coërcendis, quae vel perpetuo se Deo voverent, vel nuptui tempore suo traderentur. Vt autem luxurianti licentiae omnes fibrae radicitus amputarentur, ingentes opes jugandis virginibus addixit; honestasque familias rei domesticae difficultate (ob quam major solet esse ad facinus impudentia) laborantes, liberali manu regiaque munificentia sublevavit. Virginum coenobia alia a solo extruxit, alia reditibus auxit, suoque aspectu subinde recreavit; & earum colloquiis velut privata quaevis, sic interfuit, ut majestas ejus, incolumi tamen auctoritate, quodammodo conniveret. Quid porro de templorum sanctitate dicam, quae vel ruinosa aere suo restituit, vel ab inchoato excitavit? Testis sit vel haec ipsa aedes, quo frequentes convenistis, Auditores, in qua ornanda nihil Amalia sibi reliquum fecit; sive quis operis elegantiam; sive nitorem lineae sericaeque supellectilis, quam suis ipsa manibus parare in deliciis habuit; sive attributos annuos reditus iis, qui rem Divinam in hac aede facerent, reputaverit. Et pietas igitur Amaliae, & li-

be-

beralis in Dei templa munificentia tum ex iis, quae pauca perſecutus ſum, tum ex eo vel maxime patuit, quod cum in Hiſpanias iter eſſet aggreſſura, etſi fuiſſet tum in aerumnoſos largior & effuſior, in viſendis templis frequentior; nunquam tamen ſibi ſatis feciſſe viſa eſt, niſi & ipſas lautas ſuas ſupellectiles, pretioſaſque veſtes, quibus pro regia dignitate procedens utebatur, in ſacros verteret uſus, ac dedicaret. O feminam quavis praedicatione majorem, dignam profecto, quae felicioribus Eccleſiae temporibus exorta cum Pulcheriis & Flaccillis compararetur, & Conciliorum Oecumenicorum plauſu exciperetur. Mihi certe de Amalia cogitanti tantus eximiae pietatis ſplendor affulget; ut quorumvis Imperatorum luminibus illam obſtruxiſſe contendam. Quid enim cuiquam eſt vel ad gloriam praeſtantius, vel in rem publicam utilius, regiones ne igni ferroque vaſtare, populari agros, moenia tormentis concutere, urbes civibus viduare, ubivis bellici furoris veſtigia imprimere, diſcordiarum crimina ſerere; an omnipotenti Deo cultum impendere, templa excitare, religionem ſovere, afflictos egenoſque ſublevare, periclitantibus pupillis, ac ſolitudini viduarum occurrere?

Jam vero egregiam Amaliae fidem in Conjugem ſuum quis pro dignitate praedicaverit? Sane quiſquis mutua utriuſque ſtudia, incredibilem benevolentiam, nec cujuſquam offenſione diſtractam concordiam propius intueatur; nae is connubium hoc, non hominum conſpiratione, ſed expedito Caeli conſilio coaluiſſe affirmaverit. Ea enim erat inter utrumque mutua bene-

nemerendi voluntas; ut nulla umquam odixerit impe-rata Carolus, quibus non libentissime Amalia obse-queretur: contra nulla hujus vota fuerint, propensio nulla, quae rata ille auctoritate sua non faceret. Ex qua voluntatum studiorumque mira consensione uber-rimi in rem publicam fructus redundarunt. Commer-cia latius protenta; itinerum non minus partam se-curitatem, quam facilitatem; operum publicorum ma-gnificentiam; Herculanensium ruderum effossiones; ad-mirandas Casertani Praetorii substructiones; immanes-que derivandis aquis suspensos fornices, divino qui-dem consilio Carolus architectatus est; sed eadem vel suadente, vel obsequente Amalia feliciter praeter ex-pectationem sunt absoluta. O ter & amplius beatam magis animorum quam corporum conjunctionem! qua Sol spatia sua dimetiens nihil vidit usquam aptius, aut convenientius: quam frigusculum nullum, quere-la nulla distraxerit, aut ex parte debilitarit. Rusti-catum processisset Carolus, aut studio venationis (qua solent Reges bello praeludere) quoquam convolasset; non aestus vis, non hyemis incommoda, non traji-ciendorum fluminum pericula retardarunt Amaliam, quo minus aequis passibus prosequeretur eum, a cujus conspectu nec discessisse, nec unquam oculos avertisse visa fuit.

Quo diuturno vitae commercio mihi plane per-suadeo, Amaliam ex Carolo suo, tamquam ex viva absolutissimi Principis imagine, colores contraxisse suos; & inde quae Reginam decebant, in educandis liberis vigilantiam, in prosperis rebus moderationem, in

in adverſis animi conſtantiam derivaſſe. Enimvero ut de ſevera natorum, quibus informandis neſcio an ulla parens ullo umquam tempore acrior exſtiterit aut oculatior, diſciplina taceam; quis dicendo aequaverit ingentem animi celſitudinem, qua lautiorem de proſperitatibus egit triumphum, quam ſi quis calamitates & infortunia ſubegerit? Et ego quidem, ut res humanae vitae adverſas minacibus in caelum ſcopulis, ſic proſperas vadis caeciſque ſaxis aequiparare ſoleo. Illi ſcabra rubigine ſqualoreque, ac ſpumis circum ferocientibus, procul arcent atque abſterrent vectores, ne propiore acceſſu navem frangant: contra vero brevia & vada obſcuritate ſua ipſis ſtrenuiſſimis gubernatoribus fraudi ſunt. Ecquis ergo dubitaverit, quin longe majoris indaginis, ac exquiſitioris ſit peritiae, brevia declinare, quam in vegrandes ſcopulos non impingere? Praeterea cum ad lacrymas magis ac ſuſpiria ab natura ipſa comparati naſcamur; & ab eo uſque tempore, quo ad hujus lucis uſuram evaſimus, ad adverſa potius occalluerimus, quam proſperis inſueverimus; mihi videtur, per novas adverſae fortunae impreſſiones non tam recentia nobis vulnera infligi, quam tantum vetuſta renovari. Vt jam, non qui res arduas aequo animo ferunt, ſed illi omnino pretium operae praeſtitiſſe videantur, qui in ſecundis ab inſolenti laetitia temperaverint. Nec ulli dubium eſſe poteſt quin quo magis fortuna velificatur, eo praeſentiore firmioreque moderationis praeſidio contra gloriae lenocinium muniendi ſint homines. Quo igitur virtutum commilitio, quave animi fortitudine inſtru-

ſtructam Amaliam putatis, ne in feliciſſimo vitae ſuae curriculo intumeſceret? Nam, ut tantiſper ſejungam proſperum ac tranquillum ejus vitae curſum ab eo, quem per ſenticeta ſalebraſque confecit; quid illa fortunatius beatiuſve fuiſſe umquam praedicaverim, quae vel ſola praeclariſſimi ſanguinis nobilitate Humani Generis ornamentum appellanda foret? Illa vero etſi ſplendore generis ad ſidera tolleretur; & quamquam in auguſtiſſimi Regis nuptias convolaſſet, laetiſſimaeque ac pulcherrimae ſobolis, ad regnorum faſtigia ſuo tempore evehendae, evaſiſſet mater; praeterea comitate ac liberalitate in ſe omnium populorum ſtudia & voluntates conciliaſſet: ea ſemper moderatione, univerſaeque vitae aequabilitate uſa fuit; ut omnino longius ab alacritatis inſolentia receſſerit, quam quivis alius ab atrocitate ſceleris abhorruerit. Quid quod ea ipſa, quae quemvis maerore confectum erexiſſent, conſtantiſſimam Amaliam ne titillarunt quidem, ne dum exhilararunt? Vel cum Carolus, defuncto fratre ſuo Ferdinando VI. ad paternum Hiſpaniae ſolium vocaretur; ipſaque jure conjugii in partem tanti gloriae culminis perveniret; cumque ore omnium felicitas Amaliae impendio magis praedicaretur, ut quae in vaſtiſſimas Hiſpanici imperii provincias concedens, egregias animi ſui dotes coram frequentiore hominum theatro erat explicatura: tantum abeſt, ut aures ſuas illo repentino nuntio delinitas; ut potius vulneratas contractae frontis ſerietate praeſeſerret. O ſingularem animi fortitudinem! o pectus quavis arce munitiſſima firmius; & proſperis rebus, & adverſis, quibus Ama-

Amaliae virtus per vices exercita, & probata fuit, prorſus indomabile!

Sed, ne tempeſtates ventoſque illi obluctantes taciti praeteriiſſe videamur, adeo impigre ſtrenueque cum adverſa Fortuna congreſſa eſt; ut animi ne moderatione, an firmitate pectoris magis praeluxerit, in incerto ſit. Atque hic ſubit venerari aeterna Dei conſilia, qui ut Amaliae tutam expeditamque ad ſempiternae vitae domicilium pararet viam, impeditiſſimum calamitatibus terendum iter illi commonſtravit, idque tot infortuniis aſperavit; ut illa ipſa proſperitatum veluti fercula, quae largitate Numinis per intervalla temporum delibavit, inamareſcerent. Quo factum eſt, ut patientiſſima ſemina plus aegritudinis moleſtiaeque ex alterna adverſarum rerum cum proſperis viciſſitudine contraxerit, quam ſi perpetuis fluctibus calamitatum fuiſſet exercita. Siquidem non ii aerumnoſi prorſus homines dicendi ſunt, qui ad ineunte aetate laboribus & cruciatibus ſine intermiſſione inſueverunt, quibuſque obſurdeſcente ad laetitiae voluptates palato, nullus eſt prope ſenſus; ſed illos potius mortalium crediderim infeliciſſimos, qui explorata ſecundae Fortunae ſuavitate ad exhaurienda amara pocula detorquentur; hi certe vel in ipſa oculis objecta proſperitate, tum praeteritorum infortuniorum memoria, tum impendentium trepidatione jactantur. Has autem vitae humanae viciſſitudines nulli magis, quam Amaliae ingentes creaſſe tumultus, facile quivis ſibi perſuaſerit, ſi ejus vitae, per ardua quaeque exercitatiſſimae, veſtigia attente luſtraverit. Vidit olim illa

T Con-

Conjugem suum bello feliciter ad Velitras confecto triumphantium more in hanc principem urbem invectum: vidit victrices copias suis laribus cum manubiis se se inferentes, vexillaque e manibus hostium erepta in aede Divi Januarii suspendi, posteritati testatura, quantum ceteris virtute Carolus praestaret, quantum Carolo ipsi florentissima Italiae regio deberet. Atqui illa, ut erat pacis amantissima, adeo a belli tempestatibus, a quibus Divina humanaque jura vix est ut nihil omnino detrimenti capiant, abhorrebat; ut repetens proxime pugnatae pugnae, & periculorum, quibus invictissimus Conjux ultro caput objecerat, memoriam, pene easdem tunc in pectore curas sibi sponte refricuerit, quas pridem repentini belli motus excitaverat. Praeterea pulcherrimis liberis augustam domum ditaverat, eoque nomine & gratia, & auctoritate valebat. Sed quid? eximiae fecunditatis laetitia subinde intercepta fuit plurium natarum funeribus, quas ipsa contra votum maerentissima composuit. Jam domi forisque tranquilla, & pacata omnia; in urbe otia pacis agitabantur; artes collatis Sponsi utriusque consiliis ad apicem, ac veluti maturitatem quamdam pervenerant; legibus judiciisque tanta constabat auctoritas; ut tum sibi demum Amalia regnare visa sit; cum nempe fides commerciorum, urbis dignitas, Regni securitas, domesticaque concordia exquisitissimos gaudiorum sensus ipsi suppeditarent. Cum ecce nuntiatum est, Saxoniam insideri infensissimo hostium exercitu, vastitatem templis, publicisque ac privatis aedificiis inferri; Fridericum Augustum, rebus

sic

ſic poſcentibus, in Poloniam maturaſſe viam; paullo poſt, Mariam Joſepham amantiſſimam matrem regiae domus aegritudine confectam occubuiſſe. Quis ad triſtiſſimum hunc nuntium, velut ad fulminis ictum, non expalluiſſet? Verum illa inter tot adverſae Fortunae tempeſtates nihil prorſus ex ore protulit, quod viri probi non mirarentur, nihil quod improbi calumniari poſſent. Saepenumero viſa eſt lacrymis ſuſpiriiſque Dei clementiam exorare, & in domus interiora ſe ſe abdens tacitis cum eo precibus ſuſurrare; cupere ſe quidem turbatis regnis tranquillitatem, afflictis rebus ſolatium, paternae domui dignitatem reſtitutam; ceterum ſe non detrectaturam quidquid vel acerbius aeterna Dei conſilia decreviſſent. Vix haec deferbuerant; rurſus fortiſſima virago a maerore ad laetitiam, a luctu traducitur ad hilaritatem, quae tamen hilaritas in argumentum novi luctus evaſit. Etenim cum Carolus mox in Hiſpanias profecturus FERDINANDUM filium Regem utriuſque Siciliae renuntiaviſſet, incredibile eſt, quantis gaudii ſimul & moleſtiae fuiſſet illa diſtracta jactationibus. Et ſane, filio expreſſam domeſticae virtutis effigiem gerente, ad ſolium paternum evecto, quae mater ad ſingularis laetitiae ſignificationes non dilaberetur? Sed ab iis terris, ubi feliciſſima vitae tempora traduxerat, ubi populos unius & viginti annorum conſuetudine ſibi intime devinxerat, diſcedere; id certe durum arduumque illi eſſe videbatur. Vehementius incendebat maerorem, ab amplexu filii divelli matrem, ab ejuſque conſpectu in longinquas regionum oras delatam

prohiberi. Verum Divinae Providentiae obtemperandum, ac publica commoda privatis erant anteferenda. Quid plura? Persona matris deponenda; filius aetate tenera relinquendus; denique cedendum ex Italia fuit. O supremi illius diei luctuosissimam ac acerbissimam imaginem! cum indulgentissimi Domini in alias terras splendore novo perfundendas, ad alios populos ultro beneficiis adeundos, relicto nobis aeterno sui desiderio, commigrarunt.

Sed Reginam jam abeuntem oratione prosequamur. Hispania illa Coloniarum mater feracissima, belli pacisque artibus florentissima, & sciscendarum legum magistra, nuntiato proximo Caroli Amaliaeque adventu, in ingenti erat spe atque exspectatione. Quibus secunda navigatione usis, & Barcinone expositis, incredibile dictu est, quam gestiente laetitia populi exsiluerint. Nihil sane illo die fuit luculentius, nihil optabilius, cum Serenissimi Principes exspectationem, quam sui per tot annos conciverant, adventu suo praeclare sustinuerunt. Effulsit illico incomparabilis illa clementia & liberalitas augustorum Conjugum peculiaris; tanta vero humanitas se se explicuit; prorsus ut nullum nisi voti compotem a se dimiserint. Et quidem sensus hominum cogitationesque plerumque loci ingenium sequuntur, & quo iis liberiora dantur vagandi spatia, eo vehementius prodeunt, & longius, veluti exsertis viribus, excurrunt. Quantam ergo amplitudinem accessisse animis plane regiis existimandum est, quum crescentibus jam provinciis & patescente latius imperio, majora exercen-

cendae virtutis ſuae nacti ſunt latiſundia ? Vix enim in illas terras intulerant pedem, cum repente compoſitae provinciae; imperati novi exercitus, in quibus ſunt firmamenta pacis; ad aequas omnia redacta rationes. Hic ego communes omnium gratulationes, & luculentas gaudii ſignificationes, quibus Hiſpani ſuos Principes Matritum ingreſſos pro dignitate exceperunt, libenter enarrarem; niſi eas mox ſecuta calamitas funeſtaret.

Contraxerat enim Amalia difficillimum morbum, quocum diu colluctata, ſubinde convaluit; donec eo tandem ingraveſcente, mox moritura decubuit. Id ubi reſcitum quantum in Hiſpania turbatum putatis? patefacta ſunt templa; publicae indictae ſupplicationes; nuncupata vota. Jam vero ad impendentis jacturae formidinem, omnium oculi madeſcunt lacrymis; omnia gemitibus, ſuſpiriiſque circumſonant. Regia domus, ut in re trepida fieri ſolet, infauſta ſibi ominatur; jam Conjux amantiſſimus de ſolitudine ſua queritur; jam nati quoquoverſus matris nomen iterando fletum vel ex aulae parietibus expreſſiſſent. Sola Amalia in lecto decumbens imperturbato pectore huic tragico aderat ſpectaculo. Profecto ſi triumphatae mortis tropaeum uſquam eſſet erigendum; equidem in illo cubiculo ſtatuerem, ubi femina aetate integra, potentiſſimorum Regum filia, conjux, & mater, non magis de ſua abitione ad aeternitatem commoveri viſa eſt, quam cum olim e Germania in Italiam, nuper ex Italia in Hiſpaniae ſolium demigravit. Enimvero illi addebant ingentes ſpiritus Chriſtianae virtutis diutur-

turnae exercitationes, & ante actae vitae conscientia jucundissima. Hinc tantas de contemnenda morte, luctuque minuendo rationes excogitabat; ut si penitioris philosophiae studiis insenuisset, ponderosiora argumenta invenire omnino non potuisset. Quin ausa, viribus jam deficientibus, semimortuum caput attollere, & erecti vultus praesentia confirmare Conjugem luctu perditum, ut incolumitati suae, unde tota regiae domus pendebat ratio, prospiceret; ut natos flentes solaretur; eosque cum amplexaretur, ut matris nomine oscula iteraret. Tum inquit abeundum mihi est; valete vos, & mei memores estote; quicquid humanitus contraxi, vestris expiari precibus efflagito. Haec locuta, Tibi, Christe e cruce pendenti admovens pallentia labra, vitam heu! cum morte commutavit.

O formidabilis & horrenda conversio! quantum ab illa Amalia mutata est, cum vel in publicum pro Regia dignitate prodiret, vel adiretur a populo salutaturo! Quanta tunc ejus oris dignitas, quanta majestas incurrebat in oculos? Testis sit Plaga haec Olympia, qua cum Conjuge suo quotannis ad Deiparae Mariae supplicatura procedebat inter militum instructas acies & ingentem populi multitudinem. Hinc tympana, tubaeque, arma rutilantia, & ventorum arbitrio permissa vexilla, ad alacritatem exacuebant animos: hinc tanta exstabat sumptuosissimi apparatus magnificentia, ut integras pene auri argentique fodinas huc ad ornatum comportatas esse diceres. Ipsa vero augusto auratoque curru vecta, cultu re-

regio induta tot margaritarum gemmarumque radiis ſcintillabat, ut praeſtringeret ſpectatorum oculos, ac neſcio quid humana ſpecie auguſtius exhiberet. Ceterum in ejus ſuggeſtu frontis majeſtas Regum, unde ipſi genus erat, emicabat: oculi humanitatem ſuavitatemque morum ſpirabant: tota denique oris convenientia & compoſitio nonniſi gravitatem, gloriae contemptum & aerumnoſorum commiſerationem praeferebat. Sed o fluxa ac caduca mortalium ornamenta! En ex inopinato extinctum fulgentiſſimum Europae lumen! Vt oculi, ut vultus, pacis olim concordiaeque interpretes, foeda mortis neceſſitate infuſcantur! Effertur ad exſequias inter preſſos tibiarum modos ad excitandum luctum & miſericordiam comparatos. Ferales taedae, inverſae haſtae, atratae militum cohortes, & paſſim ferruginei apparatus horrificam injiciunt trepidationem. Sed & pupillorum ſingultus, viduarum ejulationes, & egenorum, quos innumeros ad haec ſuprema officia denatae Reginae liberalitas acciverat, lamenta cui effuſas non elicerent lacrymas? ipſa denique Hiſpania nunc cum maxime immanis jacturae impatiens, vicem Amaliae acerba morte ſublatae inſolabiliter deflet; illique queritur, meliorem ut vitae, ſic gloriae partem fuiſſe praereptam. Quis enim ſibi non perſuaſiſſet, illam ad ampliſſimi regni faſtigium evectam, ſi longius ipſi vivendi tempus Caeli clementia indulſiſſet, novos honorum titulos, novos triumphos ante captis addituram fuiſſe? Verum o falſa hominum ſtudia! quam incerta coecaque mente circumventi mortales abripiuntur! Quid pompae trium-

triumphales, & populorum acclamationes ad immortalem consequendam vitam addunt ponderis? Quin imo acerba mors tantum abest, ut Amaliae felicitatem imminuerit, ut illi potius iter ad hanc consequendam expeditissimum patefecisse videatur. Et quidem illam ad certaminis finem jam evasisse, moles haec, tametsi ad luctum instructa, veluti quaedam stadii meta, declarat. Ad hanc adipiscendam aeternitatem strenue se gerentibus oblatam totas vires, sensus, cogitationesque suas intendit Amalia; nec umquam vel per lubricum prosperitatis, vel per calamitatis asperitatem incedens a proposito sibi cursu declinavit. Quam tamen immortalitatem ut assequeretur, communi prius mortalitatis diluvio erat obruenda. Nec enim herbescentes Aegypti segetes uberrimum a se darent proventum, nisi prius alluvione Niliaca inundarentur. Quamobrem tibi Neapolis, tibi Sicilia, deterso luctu, laetandum esse videtur; ea enim, quam in rebus arduis, in annonae difficultate, in foeda pestis contagione vobis praesentissimam sensistis, jam, ut sperandum est, invecta in requietis aeternae stationem, luculentiora, ac uberiora suae erga vos benevolentiae argumenta praestabit.

HABITA NEAPOLI IDIB. DECEMBR. ANN. CIƆIƆCCLX.
IN AEDE SS. IOHANNIS ET TERESIAE IVRIS PATRONATVS
REGIS CATHOLICI
CVRANTE ANGELO GRANITO MARCHIONE
PRAEFECTO EIVSDEM ECCLESIAE.

ALE-

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII

VITA.

I. ALEXIVS SYMMACHVS MAZOCHIVS Laurentii F. Campanus, famâ doctrinae ac probitatis Italiam nobilitavit. Natus est XI. Kal. Novembris (1) anni CIƆIƆCLXXXIV. in pago *Sanctae Mariae* prope Capuam hodiernam, locupletissimo ac frequentissimo, & ob antiquae Capuae positionem maxime memorando. Postremus XXIV. filiorum, eodem patre ac matre natorum, fuit; ex ejusque puerperio difficillimo Margarita Battalia mater occubuit. De qua sobole numerosa (2) hoc sane dignum exstitit memoriâ, quod aut ante tricesimum vitae cujusque annum esse desierunt; aut qui tricesimum excesserant, ultra octogesimum fata produxerunt. In hoc vivaciore numero Alexius Symmachus fuit; qui quam firmam corporis constitutionem consecutus a natura fuerit, immensi ab eo exhausti la-

V bo-

(1) Quoad diem natalem Mazochii, etsi Ecclesiae Curio in libro Baptizatorum ascripserit fuisse diem XXI. Octobris; ipse vero Alexius pluribus locis, & praesertim in *Kal. Neapolit.* affirmat, se die XXII. Octobris S. Symmacho Capuae Episcopo sacra in lucem fuisse editum; ni dixeris Mazochium suam natalem diem numerasse a die, qua sacro baptismo lustratus est, aut media ferme nocte pridie illius diei lucem adspexisse. CASTALDIVS

(2) De hac numerosa patris prole per jocum aliquando Francisco Danieli, a quo id accepimus, dixit Mazochius, parentem suum cum uxorem duxisset post illam dirissimam pestilitatem anni CIƆIƆCLV. in animum induxisse velle se restituere patriae & Regno ipsi, quos pestilentia illa absumserat. CASTALDIVS

bores, ſtrenue ad aetatem decrepitam perducti, declarant. Primam aetatem innocenter, ac procul a puerilibus ludicris, exegit; tantaque ſupra aetatem gravitate, ut & patri non valde placeret, & aliis tardior ingenio futurus argueretur. Hujuſmodi tarditatis opinionem confirmaſſe puer videbatur, ex quo deprehenſus fuit, haud plurimum in Seminario Campano, quo eruditionis cauſa conjectus a patre fuerat, in grammaticis ac rhetoricis praeceptionibus profeciſſe. At revera culpa in ſaeculi vitio reſidebat: magiſtri, quos utiliter audiret, nulli tunc erant: tanta vero librorum inopia laborabatur; ut quaſcumque inſtitutiones, ne grammaticis quidem exceptis, praeceptores ſuſcepiſſent tractandas, eas nonniſi ex aliquo antiquitus ſcripto commentario recitarent; quae mendoſe, uti fit, a diſcipulis exſcriptae, diriore magiſtrorum interpretatione, ſi ita loqui fas ſit, explanabantur. De qua infeliciſſima temporum conditione conqueri Mazochius numquam deſtitit; & aetate jam provectus, ad barbariei, quae eo tempore graſſabatur, ſpecimen narrare ſolitus erat; ſe, cum Rhetoricis operam dabat, audiviſſe a praeceptore ſuo palam confidenterque diſſerente, Periodum quatuor membris conſtantem, idcirco a Rhetoribus dici *tetracolon*, quod ſicuti terra in quatuor partes diſtributa eſt, ſic illa periodus, totidem partitionibus inſtructa, *tetracolos*, quaſi *terracolos*, nuncupata ſit: adeo bonae litterae ſine ulla reverentia proſtratae jacebant! Juverit autem id adnotaſſe, ut ex quibus infauſtis initiis ad tantam litteraturae ſublimitatem propria vi adſurrexerit Mazochius, pateat.

II.

II. In his tamen grammaticorum ac rhetorum naeniis dum adolescentulus detinebatur, saepe se dedit occasio, unde ejus acumen, ac praestantia ingenii splendesceret. Nam si quid aliquanto difficilius in diurnis lectionibus incidisset, & praeceptores explicate tradere aut neglexissent, aut nequivissent; ipse condiscipulis nutu, dum in schola sub oculos erant magistrorum, significabat, rem aliter ac praecepta fuerat, procedere: postea vero praeceptiones retexens, eos rite instituebat informabatque. Idque cum iterum atque iterum accidisset, moderatores Seminarii latere non potuit. In his Canonicus Buccardus erat; vir gravis, neque omnino a litteratura alienus; qui accersitum ad se Mazochium a diligentia commendavit; eamque ut magis magisque probaret in dies, exemplis illustribus propositis, animos fecit: interim hostimenti loco Valerium Maximum ei obtulit legendum. Adolescentulus autem historicum summa alacritate ac voluptate perlegit; nihil enim politioris antea latinitatis attigerat. Post triduum ultro Buccardum adit; redditaque lectionis ratione, impense rogat, ut quem alium ejusdem notae librum sibi, in schola frustra otianti, commodet. Quae pueri celeritas, sciendique inflammata cupiditas, hominem ad majorem sui admirationem excitavit, & sibi ipsi magnae fuit utilitati. Nam Buccardus cum ejus patre studiose egit, ut Neapolim, ubi neque praeceptores optimi, neque copia librorum poterant desiderari, filium deduceret. Consilium placuit; intereaque, dum commeatus ornatur, is e Seminario domum revocatur.

tur. Hìc tum forte erat Carolus ejus frater major, fortuna meliore Neapoli excultus; abs quo Alexius, ne tantulum temporis otiose deperiret, prima rudimenta graecae linguae accepit; &, quod maxime adolescentulum recreavit, nonnulla volumina Ciceronis; a cujus lectione adeo jucunde vehementerque se raptum esse sensit; ut Valerius Maximus, quem primum legerat probaveratque, ei jam prae Tullio sordesceret.

III. Annos itaque XV. natus Neapolim a patre deducitur. Hìc autem veluti assertus in libertatem, studia humanitatis per se, nulloque adito Grammatico, repetere statuit. Quare Cicerone sibi linguae latinae magistro unice proposito; in hujus lectionem accuratissime incubuit, tantoque successu, quantum ejus opera demonstrant. Praeter sermonis elegantiam, concinnitatem, & copiam, ex usu comparavit sibi celeritatem; ac saepe adolescentes aequales, lacessitos ut, quod maxime vellent, ex tempore patria lingua exararent, ipse eodem de argumento latine scribens, haud mediocri intervallo praevertit. Cum Latinis Graecas litteras conjunxit; pervigilique studio atque exercitio consecutus est; ut Graeco sermone aeque perniciter, ac Latino, uteretur: idque nobili experimento comprobavit. Cum enim ad philosophica studia a patre urgeretur; eaque, ut illa erant tempora, scholastico more tractata, adolescens gustûs exquisitissimi fastidiret; hic, ut aliquo labore taedium falleret, Graeca elocutione id, quod a Praeceptore Latine dictabatur, confestim, & quidem apposite, redde-

debat; namque id ut profpere fuccederet, Ariftotelem improbo labore voraverat. Ea res publicata & cum ftupore excepta, impulit Archiepifcopum Campanum, ut Neapolim veniens a patre flagitaret; ut natum, cui munera ac dignitates pollicebatur, Seminario Campano reftitueret. At luculenta Archiepifcopi promiffa flectere illum minime valuerunt, quo minus vellet, ut filius Neapoli erudiri pergeret. Itaque adolefcens Mathematicis porro difciplinis vacavit; in quibus Giannettafium habuit optimum quidem magiftrum; fed ejus rudimenta, quae pauca contractaque acceperat, induftria fua latiffime promovit. In his dum effet, duodevicefimum agens annum amifit patrem; cujus ne fenex quidem fine defiderio meminiffe poterat; ejufque monita, quae puer imbiberat, identidem cum voluptate repetebat.

IV. Patre orbatus aufteriorem vitae rationem fecutus eft. A nullo fe domi inquietari paffus, nec quemquam adiens, perraro in publico verfabatur, totus fibi mufifque fuis intentus. Quo feceffu domeftico univerfae archaeologiae penetralia pervafit, linguafque exoticas addidicit. Porro ftudiis gravioribus, ac facris praefertim [nam Ecclefiaftico ftatui fe pridem defponderat] incubuit. Quibus in difciplinis quos praeceptores, & an ullos, audierit, ignoratur: nifi quod faepe dicere auditus eft, quicquid olim adolefcens didiciffet, vigiliis fuis acceptum retuliffe; &, cum praeftantes doctrinâ viri ea tempeftate in urbe floruiffent, nulli eorum finiftro quodam fato operam dediffe. In his nominatim compellabat Dominicum

Au-

Aulisium, celeberrimum Juris Civilis, & Canonici in Academia Antecessorem, egregium Philologum, ac non poenitendum Philosophum; quem neque audivisse, neque vivum coluisse, piguit. Vnus omnino, ad quem sacerdos jam factus itare solebat, & observare postea numquam destitit, Carolus Majellus fuit, vir innocentissimus, ad miraculum doctus, contemptuque sui, quam gestis ab eo summa cum laude muneribus, nobilior. Ad hujus amicitiam se contulit Mazochius, eamque consuetudine quotidiana haud inutiliter fovit; namque ab eo semper se discedere doctiorem affirmabat. Vicissim Majellus, captus eruditione ac modestia juvenis, eum jucundissime complexus est; ac porro quanti faceret, hoc luculento argumento significavit. Accitus Romam a Clemente XI. Majellus fuerat, ut ejus opera Pontifex Maximus uteretur: is autem ne Seminarium, quod optimis legibus, & litteris instituerat, plane deseruisse videretur; in Mazochium, quem veluti sui operis vicarium, ac successorem in moderatione studiorum relinqueret, oculos conjecit. Quare biduo antequam Romam proficisceretur, Seminarii adolescentes in praedium Arenulanum deduxit rusticatum; ibique universis contuberniis in concionem vocatis, pauca de se, suaque discessione, ac multa de optimo genere Praefecti studiorum locutus est; postremo in Mazochium, quem eo consilio illuc invitarat, intendens digitum, *Hoc*, inquit, *praestantiorem*, *quem studiis praeficerem*, *habui neminem*. *Hic & quales quantosque labores pro vobis exhauserim*, *e vestro in litteris profectu sentiet*; *& suo-*

rum

rum continuatione sudorum, *quominus me absentem desideretis*, *efficiet*.

V. Hanc nactus provinciam Mazochius, incredibile est, quanta alacritate susceperit; quam nec minore studio retinuit. Scholis enim obeundis aderat sine intermissione; ingenia ac profectum cujusque aestimabat: & currentes quidem laudatione, resides vero spe metuque excitatos inflammabat. Qua in re illud omnibus prope miraculo fuit, quod is, qui in sermone vulgari non admodum eloquens videbatur; cum porro de accendendis ad studia litterarum animis ageretur, adeo promptus, acer & copiosus erat, ut cuivis disertissimo difficillimam aemulationem reliquisset. Hujusmodi censuram studiorum exercuit, donec vires robusto corpori suffecere; at inclinante ad senium aetate, curisque aliis atque aliis in diem ingruentibus, vacationem a Cardinali Neapolitano impetravit. At paullo post cum studia in Seminario aliquantulum refrixissent; exoratus a Cardinale Spinello, qui tunc Cathedrae Neapolitanae praeerat, ad sustinendas impendentes ruinas accurrit; vergentesque ad otium adolescentes adeo severe ad officium redegit; ut hi, cum Mazochium mox adfuturum scholis praesentiebant, trepide Tullianum illud *Hannibal ad portas* usurparent: quo veluti signo militari se se mutuo adhortabantur, ut rigido exactore adventante, vehementius operi incumberent. Queis trepidationibus ferme quotidianis, & assuetudine laborum factum est, ut non amplius resisterent, aut cunctarentur; sed contra majore quam antea studendi cupiditate flagrarent;

id

id quod nobili evento probatum eſt. Antiqua hujus loci conſuetudo ſuerat, ut aeſtivo tempore adoleſcentes a ſchola pomeridiana in proximum Archiepiſcopi viridarium captandi ſolatii cauſa deſcenderent. Accidit autem, ut ibi aliquando otiantibus ephebis, & hâc Cardinali non ſine comitatu pertranſeunte; pauci eorum aſſurrexerint; plerique omnes humi ſtrati, ac partim legendo, partim ſcribendo occupati, neque praeſentiam Archiepiſcopi animadverterint, neque via pro dignitate deceſſerint. Tantum vero abſuit, ut Cardinalis eam reverentiae negligentiam aegre tuliſſet; ut in ſinu ſuo geſtiens, ad ſuoſque converſus dixerit: *Quis in hiſce meis optimis adoleſcentibus expreſſam Archimedis mathematico pulveri intenti, nec praeſentem hoſtem ſentientis, imaginem non agnoverit?*

VI. Sed redeundum eſt ad Mazochium; cujus initia Praefecturae ſtudiorum in Seminario Neapolitano proſperoſque ſucceſſus, ubi Caracciolus Archiepiſcopus Campanus intellexit; gravate habuit, quod Campanus homo, ſuis neglectis, in extraneorum cultura diſtineretur. Quare ut aliqua ſpecie dignitatis in patriam evocaret, eum in Metropolitana Eccleſia Campana Canonicum animo deſignat; & Neapolim, ut cum eo coram ageret, contendit. At Archiepiſcopi conſilium non adeo arcanum fuit; ut per aliquam rimulam non foras erumperet; atque ita proditum Mazochio moleſtiſſimum accideret. Praeter enim quam quod a dignitatibus abhorrebat; tum illud verebatur, ne ea occaſione a Seminario Neapolitano diſtraheretur. Quocirca ne praeſens Neapoli convenia-

niatur ; fruendi caeli ſalubrioris obtentu , in proximum urbi pagum declinat. Sed fruſtra; namque Archiepiſcopus , cognitâ fugâ , improviſus adoritur in loco Mazochium , ac tandem ſub certis conditionibus expugnat . Conditiones autem fuerunt hujuſmodi : ut omnino Canonicatum adiret ; ſed per. dies quidem ſuae vicis operam Capuae locaret ; tempora vero ab officii munere vacua , ſi vellet , Neapoli traduceret . Igitur ea conventione inita Canonicus renuntiatur, ac ſtatim regundis Campani Seminarii ſtudiis admovetur. Res e communi ſententia ceſſit ; namque is Neapoli Capuam ultro citroque commeans , neutri loco defuit . Interea Epiſcopus Averſanus non minore pro ſuo Clero ſollicitudine tactus , Mazochium exorat ; ut in itu ac reditu ex urbe , aliquantulum Averſae interqnieſceret, rationem ſtudiorum Seminarii ſui exploraturus . Itâque unus homo erudiendis tribus ex intervallo poſitis Collegiis, uno tempore, ſuffecit.

VII. Sub id temporis accidit caſu , ut Mazochii fama latius emanaret . Inter parietinas Amphitheatri Campani vetuſtae ac ſtupendae molis , eruderatum fuerat marmor; latine quidem & eleganter inſcriptum, ſed utroque latere mutilatum, ſtrenui philologi ſagacitatem praeſtolabatur. Continuo Magiſtratus urbis Mazochio demandat , ut pro dignitate Capuae Campanus ipſe interpretari ac ſupplere ſuſciperet (1) . Dicto audit ; poſt paucoſque a re mandata

 men-

(1) Joſephus a Capua Capycius, unus ex VIviris Civitatis Capuae, vir

menſes, egregium *Commentarium in mutilum Campani Amphitheatri titulum* Sexviris Campanae reipublicae curatoribus obtulit. Gratiae ei publice actae; & Commentarius in vulgum editus, ultraque Italiam aſportatus, opinionem viri ingenio ſubacti, atque exercitatiſſimi in litteris, auctori conciliavit (1). Sed quo magis fama Mazochianae virtutis incaleſcebat, eo minus ſe dabat conſpiciendum Mazochius; nihil aeque, quam ſui nominis celebritatem, averſatus. Itaque cum plurimus in urbe de doctrina ejus ſermo eſſet; pauci affirmare, ſe hominem de facie noſſe, potuiſſent. At nihiloſecius vir modeſtiſſimus in majorem admirationem adducitur. Quare Comes Harrachius Prorex Neapoli, de ſufficienda tunc vacua Regiae Capellae Praefectura deliberans, Mazochium una cum duobus aliis, ut eo tempore conſuetudo ferebat, Imperatori Carolo VI. Auſtriaco proponit. Tunc laetari

vir ſane nobiliſſimus, & doctiſſimus, atque illuſtrandae patriae ſtudio ſummopere incenſus praeter ceteros Mazochium urſit, ut mutilam inſcriptionem inter Campani amphitheatri rudera effoſſam ſuppleret, illuſtraretque; quod cum ille praeſtitiſſet immortali illo Commentario de *Campauo Amphitheatro*; opus de publica pecunia edendum Capycius ipſe fuit auctor. CASTALDIVS

(1) Eo ipſo tempore, quo Mazochius Campani Amphitheatri commentarium evulgavit, Scipio Maffeius Veronenſi Amphitheatro illuſtrando adlaborabat; verum cum Mazochii doctrinam exaequare deſperaſſet, de noſtri auctoris commentario paullo iniquius quam pro dignitate judicium tulit; quod ſi eum honorifice aliquando compellaverit, id gloriam dividendi cauſa feciſſe videtur. AEquiores fuerunt in Mazochium Zenus, & Muratorius, qui ſummis laudibus, uti par erat, & uti omnes Europae ſapientiores viri egerant, eum ſunt proſequuti. CASTALDIVS

tari omnes, ac Proregis judicium extollere laudibus, quod hominem dignissimum collocare in optimo lumine curasset; & augurari, quod is regimini Academiae Neapolitanae admotus (namque Praefectus Regiae Capellae more patrio publicis etiam studiis advigilat) invidiam florentissimis quibusque Europae Academiis foret excitaturus. Unus tamen Mazochius in communi spe gratulationis anxia cura distinebatur, veritus, ne ea specie honorifici muneris, quod ex animo detrectabat, ab otio ac solitudine sua distraheretur. Et quidem res ex ejus voto successit: namque ipse, nuntio ex Austria referente, ad alium delatam fuisse Imperialem praerogativam, a sollicitudine eximitur; & Harrachio, quem antea ne salutarat quidem, adito exponit, a se plurimam ipsi deberi gratiam ob ejus in se ornando voluntatem; ceterum se Divini Numinis providentiae egisse gratias, quod a cervicibus suis tantum oneris avertisset; ac proinde obtestari eum, ne posthac e gurgustio suo (sic enim conclave domesticum bibliothecae vocabat) excitare vellet. Cui breviter Harrachius: *Tibi ergo fortunaeque tuae gratulor; publicae litteraturae Neapolitanae non gratulor.*

VIII. Prae Harrachio autem felicior e suscepto studio ornandi Mazochio evasit Josephus a Capua, Decanus Metropolitanae Ecclesiae Campanae: hic enim Episcopus Carrensis jam inauguratus, pristinum munus suum illi gerendum resignare decreverat. Decanatus Capuae est prima secundum Archiepiscopum dignitas, maximique in Ecclesiasticam disciplinam mo-

menti . Hanc autem dignitatem ultro oblatam, ſtatuique ſuo conſentaneam, haud recuſavit Mazochius: ſed cum pro officio ageret graviter exacteque, neque omnia e ſententia ſuccederent; metuens, ne ex opinionum diſcordia res Eccleſiaſtica quid detrimenti caperet, conſilium dimittendi muneris inivit. Itaque adhuc trepidanti, nec in partem alterutram inclinanti, litterae Cardinalis Spinelli, quibus Neapolim ſummo ſtudio invitabatur, ultimum pondus addiderunt. Spinellus autem tum in Pontificia apud Belgas legatione, tum in itinere Gallico, animadvertit, magnum eſſe apud eas gentes Mazochii nomen, ac plurimi ejus eruditionem fieri (1). Quamobrem cum paullo poſt demortuo Cardinali Pignatello Archiepiſcopo Neapolitano datus eſſet a Clemente XII. Pontifice Maximo ſucceſſor, nihil habuit antiquius, quam ut nactus occaſionem, ad ſe acciret Mazochium. Quare cum Franciſco ejus fratre ſtudioſe egit, ut litteras, quas ipſe Mazochio ea de re ſcripſerat, germano tradens, protinus oratione ſua illum confirmaret. E veſtigio Franciſcus fratrem convenit; & expoſito mandato, reddidit litteras; quarum argumentum hoc erat: ut, ejurata Campana dignitate, mallet in urbe Regia, ac in fre-

(1) Joſephus Cardinalis Spinellus Neapolitanorum Antiſtes ille magnus ingeniorum aeſtimator cum Legati munere apud Belgas fungeretur a pluribus eruditis, & praeſertim a viro cl. Joanne Clerico de ſumma Mazochii doctrina, atque eruditione praedicari audivit. CASTALDIVS.

ſrequentiore hominum theatro utilius verſari: *Se porro*, inquiebat Cardinalis, *praeter Canonicatum in Metropoli Neapolitana, quo eum ornare deſtinarat, jam a Clementiſſimo Rege Carolo obtinuiſſe, ut Cathedrae Scripturae Sacrae in Regia Academia praeficeretur*. His intellectis Mazochius, ſtatim veneratus Divini Numinis benignitatem, per quam e fluctuatione ſe Campana eripi ſentiebat; *humaniſſimi Cardinalis imperata ſe velle facere*, reſpondit. Itaque urbi Capuae valedicto, Neapoli fixit domicilium, inter Canonicos pariter, ac Regios Academiae Profeſſores, mira utriuſque Collegii conſenſione ac plauſu, cooptatus.

IX. Sed vix dum res ſuas Neapoli compoſuerat; ecce tibi inſperata novitas jam partam, ut ſibi videbatur, tranquillitatem perturbavit. Accepit enim, ſe a Rege deſignatum fuiſſe Eccleſiae Anxanenſis Archiepiſcopum. Is autem, etſi ab honorum ambitu quam longe abeſſet: tamen ne, ſi quando ad Eccleſiaſtica munera invitaretur, petitioni temere reſtitiſſe videretur; haud ita pridem conſultum iverat Fratrem Joannem Joſephum a Cruce, primum Neapoli Alcanterinae familiae miniſtrum Provincialem Italicum, virum integritate vitae atque auſteritate plane admirabilem; qui etiam perhibebatur Divino Numine afflari: conſilii certe maturitate pollebat. Hic ergo, re tota audita ac perpenſa, conſulenti reſpondit: *Deum, qui tibi omnia ad excolendas amplificandaſque litteras praeſidia videtur contuliſſe, ſequere*. Hujus oraculi memor Mazochius, tanta conſtantia recuſavit inſulam

lam Anxanenſem, ut eminentiores etiam honores, quibus erat digniſſimus, pari firmitate animi ſe repudiaturum oſtenderit: ac ſimul interdicta ſibi quavis alia occupatione, totum ſe dedidit legendo ſcribendoque; nec ei ſane tunc occaſio lucubrandi deerat. Conſcripta ab eo fuerat, cum de Campani Amphitheatri inſcriptione ageret, Diſſertatio *de Veterum Dedicationibus;* ibique pro re nata paucis attigerat ſolemnem ſepulcralium titulorum formulam *Sub Aſcia dedicare*: quam formulam tum uſurpatam fuiſſe docuerat, cum cineres in tumulum recens extructum, inſerrentur; itaque *ſub Aſcia* nihil aliud notare, niſi fabrefacti operis novitatem; *Dedicare* vero, opus ipſum uſui addicere. Hanc *dedicandi* expoſitionem, breviter quidem, ſed explicate traditam, cum nonnulli ſepulcralibus titulis aptari poſſe dubitaſſent; ipſe argumentum a capite retexuit; ac primum ventilatis aliorum, qui plurimi eadem de formula diſſeruerant, opinionibus; ſuas deinde rationes ea gravitate firmatas in *Diatriba de Dedicationibus ſub Aſcia* repraeſentavit, ut pertinaciſſimis quibuſque ſatisfecerit. Inter alios autem, quibus olim Mazochiana expoſitio improbata fuerat, exſtitit Ludovicus Antonius Muratorius, Italicae litteraturae columen alterum; qui porro lectis Mazochii curis poſterioribus, opinionem priſtinam ejuravit; admiratuſque eſt ingentem ejus eruditionem ſumma cum moderatione conjunctam; atque haec ipſa Mazochio per litteras amice ſignificans, ſic demum peroravit: *Utinam & alii litterati viri, quos probe noſti, exemplo tuo inſtru-*

ſtructi, *parem afferant & in docendo eruditionem*, *& in concertando aut refellendo modeſtiam*!

X. Functus hoc labore quinquemeſtri (tot enim menſes ſcribendae ſimul edendaeque *Diatribae de Dedicationibus ſub Aſcia* impenderat) cogitationes ad Biblica ſtudia, jampridem exculta, at ſubinde intercepta, libentiſſime traduxit. Et quidem aſſidua lectione ac meditatione eo loci Biblicas obſervationes deduxerat; ut praelo eas committere in procinctu fuiſſet, ni quid ipſum, aliud ex alio, praeter opinionem ſuam impediiſſet. Namque hoc fere ſemper infortunio uſus eſt, ut quod minime omnium vellet, id aggredi, atque agitare premeretur. Ut ecce feſtinantem jam *Spicilegium* in Biblia producere, intemperies Dominici Franciſci fratris filii, in ipſo veluti veſtibulo, & quidem omine infauſto, retardavit; inde enim conſecutum eſt, ut editio Spicilegii tunc dilata, aliis deinde ſuccedentibus curis, diutiſſime procraſtinaretur. Dominicus autem indignum connubium, patre reluctante, inire moliens, patruum excitavit, & quodammodo ut hoc ageret, admonuit. Itaque Mazochius ad retundendos adoleſcentuli conatus animum intendit. Quoniam vero plures in foro Dominici cauſae patrocinabantur, ejuſque inita ſponſalia reſcindi per Canonicas leges, negabant; ipſe operae pretium facturum judicavit, ſi Muſcettulam Archiepiſcopum Roſſanenſem, pro patribuſque familias graviſſime diſſerentem, judicibus objeciſſet. Igitur Archiepiſcopi *Diſſertatione de filiisfamilias invito patre nupturientibus* recuſa, ac novis in eam congeſtis argumentis, locuple-

pletissime evicit, sponsalia filiorumfamilias, patribus non temere adversantibus, indigna esse e re publica, & a Conciliorum sanctionibus omnino damnari. Tantam vero in hanc Dissertationem rationum copiam, atque eruditionum lumina, tantâque cum gratia, contulit; ut non solum causa steterit ac triumpharit; sed etiam patresfamilias e pari discrimine consternatos, ad bene sperandum erexerit. Et sane ex eo tempore hujus generis lites numquam non pro patria auctoritate dijudicatae sunt (1).

XI. Commodum ab hac forensi jactatione respiranti, novum ac prope intolerabile onus a Cardinali Spinello imponitur. Eo nimirum tempore detectae fuerunt in Basilica S. Joannis Majoris duae oblongae tabulae ex marmore, in quibus nomina Sanctorum per mensium ordinem disposita, indicium fecerant, Kalendarium inibi esse insculptum, quo antiquitus Ecclesia Neapolitana in adnuntiandis quoque die Sanctorum memoriis uteretur. Monumentum quidem aut omnino singulare, aut oppido rarum. Ad pervagatam

(1) Cum Dominici Mazochii fratris filii causa agitaretur, ne invito patre duceret uxorem, feminam ingenuo homine prorsus indignam, Sacro, Regioque XXIV virûm Concilio tunc praeerat Vincentius Hippolytus Marchio, vir, praeter juris scientiam, humanioribus litteris haud mediocriter excultus, cujusque latina carmina sparsim edita non sine laude leguntur. Hic Mazochio fuit auctor, ut dissertationem Rossanensis Archiepiscopi Romae editam de matrimonio filiorum invitis parentibus recuderet cum suis adnotationibus; in se recipiens Senatum pro patre patriaque potestate staturum; quod successu comprobavit; nam, libro illo evulgato, patris causa omnium suffragiis triumphavit. CASTALDIVS

tam autem detecti marmoris praedicationem assurrexit Cardinalis, ac re majoris, quam quo habebatur, pretii comperta; Mazochio, licet reluctanti ac valetudinem causanti, pro imperio Episcopali mandat, uti perpetuum in hoc Neapolitanum Kalendarium ornet commentarium. Arduum igitur opus, & hactenus a se intentatum, jam sexagenario proximus aggreditur. Hìc autem longum esset enarrare, quos quantosque labores a sene, & quidem sine ullo amicae manus auxilio, aditos oportuerit. Profecto solent ii, qui longum aliquod ac vastum argumentum tractare suscipiunt, uti aliena opera, ut in unum colligatur materia, quam ipsa postea ventilent, digerantque. At vero Mazochius, nullo neque anagnoste, neque scriba usus, exhaurire sibi sustinuit infinita propemodum Acta Sanctorum, Vetera Kalendaria, Martyrologia, Menologia, Sacramentaria, ac plurima id genus volumina; quorum pauca quidem integrae fidei, ac lectu non injucunda; pleraque vero aut omnino fabulosa, aut fabulis inquinata; omnia certe a pristina lectione sua prorsus aliena; adeo ut in ambiguo sit, utrum praelongam ejus patientiam ob ea quae legerit; an magis admirere superbissimum in scribendo delectum, & criticen. Prout autem quamque Commentarii partem, justi voluminis modulo parem, confecerat, sic in publico exposuit. Itaque anno CIↃIↃCCXLIV. edidit primum Volumen, ad cujus calcem, uti citius Neapolitanorum studiis satisfaceret, apposuit Acta Januarii Hieromartyris, hactenus inedita: quae, sibi turbas, ut paullo post dicetur, excitarunt. Anno abhinc

hinc altero secundum Volumen prodiit. Ac statim consecutae sunt lautissimae tum nostrorum hominum, tum exterorum auctori gratulationes. Namque accepit is litteras ab Jo. Jacobo Greiff, Sacrae Scripturae in Academia Lipsiensi interprete, viro satis erudito exquisitique judicii; quibus litteris hic Mazochio significabat, se ex lectione utriusque voluminis incredibilem percepisse voluptatem; nihil eo esse limatius; & praeterea neminem, qui parem eruditionem aut criticen in excutienda Acta Sanctorum contulerit, se adhuc vidisse affirmans: se vero paratum esse in linguam Saxonicam ejus Commentarium vertere, si facta spes foret, universum Kalendarium ad umbilicum iri perductum. Sed neutri, nec auctori nec lectori fortuna benigne aspiravit; namque ultra tertium Volumen (typis quidem anno CIƆIƆCCLI. expressum, sed diu postea publicatum) quo priores sex Kalendarii menses absolvuntur, nihil ferme aliud eo super argumento disseruit. Atque utinam licuisset, inceptum Commentarium ad finem usque deducere! Nunc autem opus imperfectum querimur. Sed ut ut est; egregium quidem est, adeoque elaboratum, ut difficilem continuationis imitationem relinquat. Ob imitationis autem difficultatem nescio quae ei major reverentia debetur. Et sane nos vehementiore quadam occulta vi ad eum magnificandum impellimur, quem aemulari posse desperamus. Itaque si alio traducere liceat celebrem illam, atque aenigmati similem, Hesiodi sententiam: *Dimidium plus toto*; ea, opinor, aptari in praesentia posset Mazochio, cui

suum

ſuum opus dimidiatum, nec facile a quoquam perficiendum, plus admirationis peperiſſe videtur, quam integrum atque abſolutum.

XII. Sed nunc tradenda ratio eſt, quamobrem editionem tertii in Kalendarium voluminis, jampridem parati, auctor ad annum CIↃIↃCCLV. diſtulerit. Igitur ita ſe res habuit. Forte inter Canonicos & Hebdomadarios Metropolitanae Eccleſiae Neapolitanae ſuſcitata e leviſſima occaſione controverſia, paullatim incaleſcentibus animis, in acerrimam diſceptationem eruperat. Et Hebdomadarii quidem narrabant, duas olim exſtitiſſe Neapoli Cathedrales Eccleſias, Graecam nimirum ac Latinam; & illud addebant, ſe in locum Graeci Capituli, ut Canonicos Latini, ſucceſſiſſe; ideoque utroſque dignitate pares eſſe reputandos. Contra Canonici aegre ferebant, ſecum aequari velle Hebdomadarios, quos ſibi in Eccleſia operantibus famulari, exploratiſſimum erat: quare indignabantur, quod qui conſcii ſuae conditionis erant, jura praeſtantiorum affectarent. Haec autem ſumma controverſiae fuit; quae in Foro Neapolitano ac Romano ea contentione fuerat in utramque partem ventilata, ut jam veri veſtigia, altercationum aeſtu agitata, non amplius apparerent. Itaque perſuaſum tunc vulgo fuit, eo inclinaturam victoriam, ubi adfuiſſent patroni, majore fide atque auctoritate praeſtantes. Quocirca Canonici Mazochium, per quidquid ei cariſſimum ac ſanctiſſimum eſſet, exorant, uti periclitantibus Collegis iret ſuppetias. Quamobrem is, ſuſpenſa manu e tertio in Kalendarium volumine, aegerrime

 qui-

quidem, attamen intento ſtudio, cauſam defendendam ſuſcepit. Ac primum telam, quam Hebdomadarii artificioſe orditi fuerant, retexens, neceſſariis argumentis demonſtravit, unum ſemper Neapoli praefuiſſe Epiſcopum, eumque Latinum: urbem autem Neapolim jam inde ab rei Chriſtianae initiis evocatam ad Civitatem Romanam fuiſſe; deinde primam Hebdomadariorum originem aperiens, eam nec antiquam, nec valde luculentam oſtendit. In hac autem controverſia adverſarium acerrimum habuit Joſephum Aſſemanum, virum in re litteraria magni nominis, ſecumque vetere amicitia & conſuetudine conjunctiſſimum. At amicum hoſtili, non dicam odio ac ſaevitia, ſed apparatu irruentem, eloquentiſſime exagitavit; & quidem felici ſucceſſu; namque lis pro Canonicis dijudicata fuit. Sed in eo quidem certamine viciſſe, ſuſque deque tulit; decertaſſe vero, ingenti & ſibi labori, & ceteris admirationi, fuit. Profecto nemo in urbe noſtra fuit, qui commiſerans ſenem ſeptuagenarium, ad excutiendas ferme innumeras aevi infeliciſſimi chartas (ignoratum antiquitati poenae genus) damnatum, exſecratus haud ſit primam excitatae controverſiae originem; ſimulque admiratus, quî potuerit is ex lutulenta ſcriptionum barbarie tantum auri colligere, & appoſite *in Diſſertationem de Cathedrali Neapolitana ſemper unica* conferre; quam tandem fractis prope viribus edidit anno CIƆIƆCCLV. Quo labore perfunctus, ſtatim nulla interjecta mora, ſe ſe ad intermiſſum Kalendarium convertit; ac revocatis rerum ſcribendarum paene dilapſis imaginibus, extremam manum tertio volumini impoſuit. XIII.

XIII. Porro ſenem ab occupatione Capitulari quieſcentem, quis prior occuparet, ferme ejus periculo certatum eſt; parumque abſuit, quin ſua cauſa vetus inter Cardinalem Spinellum, & Equitem Carolum Guevaram e Ducibus Bovinenſium, benevolentia frigeſceret. Nam Cardinalis quidem contendebat, debere Mazochium in reliquum Kalendarium Neapolitanum commentationes, quas auſpiciis ſuis inchoarat, ad finem uſque deducere; contra Eques, hinc animo reputans operis peragendi diuturnitatem; hinc indignum eſſe ratus, ut diutius differretur expectatio Regis Caroli, cui ſe Tabulas aeneas Heracleenſes, Mazochii cura explicatas, propediem oblaturum praedixerat; ſummo ſtudio flagitabat, ut ſibi potius, quam cuivis alii, operam eſſe locandam oporteret. Re quidem vera Spinellus ante capti temporis praerogativa potior erat; ſed Guevara ſponſionis gravitate vincebat. Quamobrem ut utriuſque ratio haberetur, neceſſe erat, ut quiſque de ſuo jure aliquid decerpi pro portione ſineret: ac profecto conſilia media, ſi umquam alias, hic quidem certe placuerunt. Itaque Mazochiio, pro perpetuo in reliquos ſex Kalendarii menſes Commentario, praeſcripta a Spinello fuit Diſſertatio, in qua recenſeret Sanctos Eccleſiae Neapolitanae Epiſcopos; atque eos praeſertim ornaret, quos nunc quidem cultu publico exſortes, at olim, ut quoſvis alios Dei amicos, habitos Neapoli fuiſſe, per Kalendarium innoteſceret. Huc nimirum tota Archiepiſcopi Spinelli pro abſolvendo Kalendario Neapolitano ſpectabat ſollicitudo, ut per ejus tabulas exploratiſſi-

tissimae fidei suos ipse decessores ad pristinam culturam restitueret: & ipse jam, hujus vetusti monumenti auctoritate plane persuasus, marmoreas Sanctorum Praesulum imagines in pilis Cathedralis Ecclesiae ritu sollemni dedicarat. Horum igitur omnium acta ut continuo a Mazochio in unum colligerentur, simulque cultus vindicaretur, Spinellus obtinuit; & quidem bona cum Guevarae gratia. Namque labor hic succedaneus laboris multo diuturnioris, eo locabat Mazochium, ut & brevi satisfacere Spinello, & citius Guevarae desiderio posset occurrere. Itaque edidit anno CIↃIↃCCLIII. *Dissertationem de Sanctis Ecclesiae Neapolitanae Episcopis*, summo quidem favore a Cardinali Spinello, necnon a Benedicto XIV. Pontifice Maximo exceptam; sed ea celeritate (nec enim dissimulandum est) exaratam, ut auctor, viam leviter presso vestigio percurrens, quasi alio properasse videatur.

XIV. Nempe quamprimum aggredi anhelabat duas aeneas tabulas Heracleenses, quarum una Graece, altera Graece pariter in adversa parte, at Latine in aversa exaratae, rerum hujusmodi amatoribus delicias ferme inexhaustas parabant. Et Graecae quidem inscriptiones remotissima antiquitate sese commendabant, Latina vero argumenti gravitate praestabat; complectebatur enim syllogen legum Romanarum, in quas populi, qui consequi civitatem Romanam vellent, fundi pro more fiebant. Porro hae Tabulae ex eo *Heracleenses* vocantur, quod in agro Heracleae, celebris in Magna Graecia oppidi probe Taren-

rentum, forte detectae fuerant; & cum in alias atque alias manus incuriosius incidissent, postremo acrem aestimatorem nactae sunt Equitem Carolum Guevaram, politioris litteraturae studiosissimum; qui ingens Tabularum pretium admiratus, iisque dignum pro merito hospitium ornare satagens, a clementissimo Rege Carolo impetravit, ut in Regium suum Herculanense Museum inferrentur. Verum ille, antequam ea deductio fieret, curavit, ut inscriptiones omnium praestantissimae a philologi, cui omnium opinio primas deferebat, Mazochii scilicet interpretatione & commentario nobilitarentur. Nihil huic certe jucundius ea occupatione accidere poterat; sed ante captis pensis eo usque dilatus est, ut devexa tandem aetate voto suo potitus sit. Igitur manum operi, cum licuit, libentissime admovit; moxque veluti in altum invectus, circumspecta rerum tractandarum vastitate, dixit: *Si hae Tabulae mihi ver aetatis agenti, expoliendae obtigissent; profecto hoc unum colere, ceteris supersedere, voluissem*. Attamen id aetatis homo illud onus succollavit, ad cujus conspectum florentibus alii viribus exhorruissent. Interpretaturus enim Graecas epigraphas, quae vetustiore Dorica dialecto loquuntur, quantum laboris exhauserit, ii solum judicare poterunt, qui sese in hujusmodi stadio exercuerint. Quot vocabula Graeca ignotae adhuc notionis in apricum sua sagacitate eduxit? Quot locos glossographi Hesychii prope conclamatos ad vitam restituit? Mitto nunc dicere illius aetatis ritus, sacra, leges, pacta, rei agrariae (hujus enim argumenti sunt Graecae inscri-

scriptiones) obscurissima capita ; quae omnia diserte eruditeque persecutus est. Ad Latinam vero ab eo illustratam quod attinet, inscriptionem ; ea cum sit legum Municipalium Pandectes, facile per se quisquis intelliget amplitudinem tractationum, simulque arduam differendi provinciam. Nec solum difficultates, quae ultro e serie interpretationis consequebantur, ad vivum resecuit; sed & alias pro re nata spinosas quaestiones facili manu tractavit. Namque in origines Italicas excurrit; ac prima Tyrrhenorum huc ex Oriente advenientium lineamenta, adhuc in antiquis nummis spirantia, feliciter investigavit. Digna quoque est, quae in partem laudis veniat, exquisita, & maxime ad unamquamque rem apposita elocutio. Sane cum ibi multiplicia, eaque dissita argumenta sint pertractata; mirum est, auctorem omnibus idonea verba sententiasque accommodasse, adeoque propria; ut desertiora ab eo, qui diu sit in singulis exercitatus, nequicquam speraris. Quamobrem si quis ejus in Tabulas Heracleenses Commentarium, quod anno CIƆIƆCCLIV. prodiit, esse dixerit locupletissimum universae eruditionis promptuarium, profecto judicii nimis affectati reprehensione vacabit. Sed & operi jam edito major accessit ex comparatione commendatio. Altera enim ex Tabulis Heracleensibus, nimirum ea quae hinc Graece, hinc Latine decurrit, forte in duas partes dissiluerat; unaque Neapoli manserat, altera in Britanniam (unde postea Regis Caroli providentiâ redux, cum Neapolitano complemento coaluit) asportata fuerat. Fragmentum autem Britannicum

cum ingenia duorum illuſtrium virorum exercuit, Michaëlis Maittairi, & Caroli Conradi; quorum ille eximia Graecae litteraturae, hic Juriſprudentiae laude florebat. Mazochius vero, ut univerſus Graecae Latinaeque orationis contextus haberetur, exorſus a Britannico, unde initia utriuſque inſcriptionis petenda erant, tum poſtea in ſupplementum Neapolitanum commentatus eſt. Hac autem occaſione tum Maittairi in Graecam, Conradique in Latinam epigraphen; tum ſuas juxta animadverſiones appoſuit; quibus ſimul una comparatis, facile apparuit, quantum Mazochianae alteras antiſtarent. Quo minus porro mirandum eſt, ſi vir cl. Carolus Le Beau a Secretis Academiae Pariſienſis, cum Mazochio florentiſſimae hujus Societatis nomine de hoc opere colloquens, eum *totius Europae litterariae miraculum* ſalutarit.

XV. At vero ſenem a colligendis hac tempeſtate plauſibus ſtatim ſecuta Stiltingii importunitas avocavit. Stiltingius natione Belga, vitae inſtituto Jeſuita, omnino Italis obſcurus homo; hoc uno facinore nobilis, quod cum viro noſtro longe praeſtantiore ſeſe componere, atque, ut ita dicam, metiri voluit. Sed res ut plane intelligatur, ab initio repetenda eſt. Ediderat, ut ante dictum eſt, Mazochius ad calcem primi voluminis in Kalendarium Neapolitanum *Acta Hieromartyris Januarii*, quae exſcripta e codice quodam Bononiae, ad diſcrimen Vaticanorum ejuſdem Martyris Actorum, *Bononienſia* vocavit. Haec autem Acta latina, ſoloeciſmis quidem lacuniſque non paucis faedantur; ſed quia graeciſmis ad faſtidium uſque

 abun-

abundant; acutissime Mazochius conjecit, ex antiquiore Graeco archetypo latine fuisse facta ab eo, qui re vera neutram linguam satis probe calleret. Atqui isthaec, ut ut inconcinna squalent, simplicitate tamen sua satisfaciunt; non rhetoricantur, sed ut quaeque res gesta fuit, ita exponitur; non desaeviunt, neque tragicis illis efferantur spectaculis, quae leguntur quidem in *Vaticanis*, at viris emunctae naris probari neutiquam potuerunt. Quocirca Mazochius haec Acta unice commendavit; & accuratissime castigata, elimataque vulgavit. Simul ac Bononiensia prodierant, apud cordatiores quosque plurimum fidei a Vaticanis decerptum est: quibus jam fama periclitantibus auxilio venit e Belgio Jesuita Stiltingius. At ea tueri Belga non potuisset, ni prius Bononiensia profligasset: quare hoc sibi primum negotii dedit, ut haec quoquo pacto concussa dejiceret; id quod ei infelicissime successit. Pòstea in Vaticana excurrit; eaque, ut ornatiora, rerumque stupendarum lautiore apparatu instructa laudavit. Ac denique in Mazochium, quem etiam inofficiose tractavit, vocem, quantum potuit, intendit; quasi qui parum honorifice de nostro Martyre sensisset: fortasse quod Belga suspicaretur, plurimum e gloria Martyris fore delibandum, si is per certamina minus portentosa fidem Christi suo sanguine obsignasset. At vero Mazochius oblatrantis Jesuitae vocibus adeo non est deterritus, ut pristinam suam sententiam in *Vindiciis Actorum Bononiensium*, anno CIↃIↃCCLIX. publicatis, novis praeterea argumentis roborarit; Stiltingiumque obtrectantem incredibili vi

elo-

eloquentiae perstrinxerit. Qua in re, quantum acumine ingenii valeret, si usquam alias, hic quidem certe patefecit. Nulla enim criminatio contra Bononiensia a Stiltingio intentata fuerat, quam non diserte pariter ac nervose depulit: criminatorem vero ipsum pro Vaticanis digladiantem, sic undique circumvenit; ut ad extremum prostraverit. Dignum sane opus, in quo eloquentiae robur cum argumentorum pondere certat; simulque modestiae, quam jure a Jesuita flagites, religiosissime litatur. Quod vero in hisce Vindiciis fortasse desideres, hoc unum est; ordo concinnior. At in hanc partem peccatum ab eo est, quod inurbanam Stiltingii lucubrationem suis ipse oculis legere non sustinuit; sed accusationis capita, quae eluenda essent, ab amicis aut descripta, aut recitata non uno tempore habuit. Et interrogatus, eccur ipse a legendo Stiltingio abstinuisset, respondit: *Ne ex ejus lectione, veluti ex affrictu quodam, intemperanter ignescerem* (1).

XVI. Quod autem tempus ab editis Heracleensibus Tabulis ad initia Stiltingianae vexationis interfuit, haud a labore vacuum Mazochio deciderat; sed totum ab eo fuerat in obsequium gratiamque Regis

 no-

(1) Et revera quum aliquando congrederetur cum Ludovico Sabbatinio, intemperantior, quam virum doctum decet, irrupit in hominem & pietate, & doctrina inter suos satis spectatum. Postea vero, exemplo cunctis imitando, libellos, quos, fervescente bile in vulgus emiserat undique conquisivit, & quovis pretio redemptos igni tradidit. CASTALDIVS

noſtri Caroli traductum. Forte ex Herculanei effoſſionibus extracta fuerat ingens papyrorum, ſeu convolutorum librorum copia; quae inſtruendae bibliothecae paene ſuffeciſſet. Ea res improviſa, atque omnium vota excedens, Europam excitavit; ſed maxime Regem extulit, qui non mediocrem e ſuis ſumptibus, quos in eruderandum Herculaneum, jam Veſuviana ſub Tito Caeſare clade ſepultum, profuderat, ſe collegiſſe fructum arbitrabatur, ſi per haec volumina, nunc primum in lucem prodeuntia, poſſent liberalia ſtudia juvari. Quare Mazochio non per codicillos, uti mos Regius eſt, admonito; ſed accerſito coram ipſe Rex ad majorem inſpirandam alacritatem recta demandat, ut Herculanenſium papyrorum fragmenta deſcriberet, atque interpretaretur. Namque volumina non erant hujuſmodi, quae facile, uti ſperabatur, evolverentur; quin imo ſtatim ac iis evolvendis admotae ſunt manus, ob animadverſas inſuperabiles difficultates animi conciderant: quandoquidem ea, quae in humido ſolo jacuerant, plane emucida tabuerunt; quae vero in arente pulvere, ſic obriguere; ut vel tantulum flexa, in vitri ſimilitudinem diſſilirent. Attamen induſtriâ ſuperante vitia naturae, nonnihil effectum eſt, & fragmentum haud mediocre e papyro Graece perſcripta reſervatum, omnium animos exhilaravit. Interpretatus hoc eſt Mazochius; & quoniam ſpes recuperandi alia fragmenta affulſerat, jam animo conceperat, hujuſmodi fruſta quae ſubinde colligerentur, ſub titulo *Herculanenſis Bibliothecae Spoliorum* producere. Interim huic ſperatae collectioni praei-

praeire voluit dissertationem, in qua de ultimis Herculanei, ac vicinarum urbium antiquitatibus commentatus est (1). Ibi inter alia subtiliter ab eo excogitata eminet ignivomi Montis *Vesuvii* veriloquium in Orientali voce, quae *ignem* notat, investigatum. Qua profecto etymologia docemur, nobilem hunc Campaniae montem diu ante Romana tempora, tum cum Orientalium examina veterem Italiam insidebant, arsisse. Hanc autem dissertationem Latine, uti suus erat mos, elucubravit; sed a Francisco Serao, vetere amico, exquisitique ad ea studia sensus, obtinuit, ut elegantissima manu sua Italice verteretur. Itaque utroque idiomate concinnatam Mazochius Regi Carolo manu scriptam tradidit, ab eoque consecutus est insignia Regiae benevolentiae testimonia; tantam vero fidem atque existimationem, ut nihil posthac, quod ad effossiones Herculanensium antiquitatum spectasset, Rex inconsulto Mazochio gereret; nihilque inde eruderatum fuerit, de quo non ejus judicium exquireretur. Mazochio autem paratissimum Regi Carolo obsequium, majori non solum honori, sed etiam uti-

(1) Regiae Herculanensis Academiae $\overline{\text{xv}}$viri, Mazochio e vivis sublato, graeca papyrorum fragmenta in Herculanei effossionibus reperta evolvere, & simul collecta illustrare satagerunt, quod summa cum laude sunt adsecuti duobus voluminibus, quorum alterum ediderunt anno CIƆIƆCCXCIII. hoc titulo: *Herculanensium Voluminum quae supersunt Tomus I. Neapoli ex Regia Typographia* fol.; alterum vero luce donarunt anno CIƆIƆCCXCVII. inscriptum: *Dissertationes Isagogicae ad Herculanensium Voluminum explanationem Pars Prima. Neapoli ex Regia Typographia* fol. CASTALDIVS.

utilitati fuit. Nam ex quo primum fuit in conspectum gratiamque Principis adductus, Regiam munificentiam expertus est, annua sibi pensione, qua senilis ejus aetas tractari mollius posset, attributa. De qua largitione cum deliberabatur; Mazochius egregium benevoli erga Nicolaum Ignarram animi sui facinus edidit. Hic a prima aetate sedulam illi operam navarat, ab ejusque latere fere numquam discesserat; ac vicissim nullo familiarius, quam hoc adolescente, senex utebatur. Quare is nactus remunerandi juvenis opportunitatem, Regem obtestatus est, ut e liberalitate, quam sibi destinarat, partem resecaret, & Ignarrae assiduo laborum suorum comiti, addiceret. Carolus tamen Rex, rarissimam virtutem senis admiratus, nihil illi detractum voluit; & insuper, quod huic daretur, adjecit.

XVII. Interea Regi defertur, Mazochium laboriosum in Sacram Scripturam notationes jampridem collegisse, quas perennibus distractus occupationibus publicare ad hunc usque diem distulisset; dignas eas esse, quae ad majorem Sacrorum Voluminum illustrationem prodirent; ac proinde Principem religiosissimum decere, sua ut auctoritate uteretur, eoque locaret hominem, ut ei satis otii, & facultatis ad editionem foret. Haud plurimis verbis opus fuit. Namque Carolus, praeter egregias animi dotes, atque artes regnandi, quae eum supra ceteros Principes extulerunt, singulare studium erga Christi Ecclesiam fovit; cogitationesque suas ad eam vel propugnandam vel augendam semper intendit. Quare Mazochium

chium obviam ſibi factum admonuit, ut confecta re, quam tractabat (tunc enim erat refutando Stiltingio occupatus) ſuas in Sacra Biblia obſervationes, quas domi premebat, ſine mora in lucem emitteret: id quod ei Rex clementiſſimus biduo antequam in Heſperiam, capeſſendi Hiſpaniarum regni cauſſa, navigaret, iterum inculcavit; addiditque, choragium ad ornandam editionem neceſſarium, ei in Regio typografio non defuturum. Itaque Mazochius voce Regia confirmatus, ad Biblica ſtudia tandem aliquando reducitur, grandaevus jam, ac viribus prope collapſis. Adde, quod Adverſaria, quae in ſuis forulis deliteſcebant, non eo uſque elimata fuerant, nihil ut praeterea in iis deſideraretur. Attamen recollecto ſpiritu, ſchediſque in ordinem redactis, & cura majore expolitis atque amplificatis, anno CIƆIƆCCLXII. primum edidit volumen *Spicilegii Biblici*, auctore Mazochio digniſſimum, plurimis ac laborioſis diſſertationibus locupletatum, quemadmodum ſunt illae *Silvae Phalegicae*, ad calcem hujus voluminis adjectae, in quibus explicatiſſime de Orbis diviſione ſub Phalego inſtituta, agitur. In quo ſpinoſiſſimo argumento totas ingenii vires exſeruit; & quantum ſibi ſupererat igniculi, veluti ex ſuiſmet favillis excutiens, accendit. Quamobrem hoc veriſſime tunc ab eo pronuntiatum fuit, ſe in *Silvas Phalegicas*, quantulum ſibi memoriae reliquum fuerat, prodegiſſe. Ac revera qui primum volumen hujus Spicilegii cum ſecundo, quod prodiit anno CIƆIƆCCLXVI. contulerit; profecto quantum alteri alterum praeſtet, facile intelliget. Duobus hiſce

ſce voluminibus complexus eſt obſervationes in Vetus Teſtamentum; & ferme jam paraverat, quas in Novum ederet; at vitio mentis impeditus, ſuperſedit. Nec ultra quid aliud ab eo conſecuta eſt reſpublica litteraria. Nam ſenio & continuatione laborum debilitatus, quadriennio antequam deceſſiſſet, adeo memoria excidit, ut librorum ipſorum, qui magno ſibi labore ſteterant, auctoritatem deſugeret; eoſque ab alio antiquiore Mazochio elucubratos diceret. Amicorum, quos etiam cariſſimos habuit, plane oblitus eſt, praeter paucos, qui eum quotidie ſalutatum venerant; & hos etiam ſuo quemque nomine appellare, ad extremum dedidicit.

XVIII. Attamen nihil ex antiquis muniis, ſic ferente naturae ipſius habitu, praetermiſit. Et lecto valde matutinus ſurgebat; & perſolutis, quae erant pietatis officia, protinus ad pluteum adſidebat. Saepiſſime viſus eſt, tres quatuorve horas continuas, ſcribendo aut pervolutando libros impendiſſe; tametſi quid ſcripſiſſet, legiſſetque, nec ſibi nec aliis ratio conſtaret. Quam conſuetudinem, priſtinae patientiae indicem, ad extremam uſque vitae tempeſtatem retinuit: & cum ſibi damnoſus quid obſtinate peteret, quod concedi impium fuiſſet; data opera ei liber objiciebatur legendus; ut per eam occupationem ab exitiali poſtulato deflecteretur. Namque praeter illapſam omnium rerum oblivionem acceſſit etiam perturbatio rationis; qua aeſtuante id ſitire atque eſurire ſolebat, quod nec potando neque edendo erat. Et facile ſua fata maturaſſet, niſi admiranda Philippi, fratris

tris filii, pietas aetati imbecillae ſuccurriſſet. Hic ab ipſo patruo ad omnem litteraturae, & honeſtatis ſpeciem edoctus fuerat, ab eoque vehementer amatus. Sed viciſſim quantum juvenis ſenem redamaſſet, ex eo palam fit, quod ille, etſi a vitae ſuae in ſoro exercitae ratione, liberalibus diſciplinis, & in Romano jure peritia, ad capeſſendam rempublicam invitaretur; tamen exemplo rariſſimo curſum fortunae ſuae intercipere, quam patruo tali tempore deeſſe, maluit: quamobrem valere jubens quaecumque ab eo ſtudio pietatis avocarent, domi ſe continuit, ut unice ſeni ſanctiſſimo vacaret: cui quidem dies noctesque ita advigilavit, ut majorem amantiſſima nutrix alumno ſedulitatem oſtendere non potuiſſet (1). Neque ſolum proſpexit, ut nihil patruus alicunde detrimenti caperet; ſed etiam curavit, ut munde eleganterque viveret. Namque ſenex per totum triennium conſtanti intemperie vexatus expugnari nequiit, ut cubitum concedens, veſtimenta deponeret: quae tamen

(1) Philippus Mazochius Marchio, ſuae gentis noviſſimus, vir antiquis moribus, juris ſcientia, humaniſque litteris excultiſſimus primum $\overline{\text{VI}}$vir ſtlitibus civilibus judicandis merito ſuo fuit renuntiatus; tum in $\overline{\text{XXIV}}$virûm Conſilium fuit cooptatus; mox in Regia Camera Summarum Rationum Praeſes, poſtea in Apulia Daunia agro ſcripturario regundo praepoſitus eſt; hinc Neapolim arceſſitus inter Regii AErarii $\overline{\text{IV}}$viros adlegitur; deinde Magni Logothetae Locumtenens deſtinatur; poſtremo mira omnium ordinum conſenſione Sacro Regio Conſilio praeficitur; cui muneri $\overline{\text{IV}}$ Non. Maj anno CIↃIↃCCXCIX. immortuus, civitati magnum ſui deſiderium reliquit. CASTALDIVS.

ſibi interdiu mutari, non valde repugnabat. Lavari, aut barbam ſibi radi, aegerrime ferebat, nimiam culturam corporis Eccleſiaſtico praeſertim ſeni, indignam eſſe praetendens. Semel atque iterum cochleari colligens carbunculos accenſos, veluti quid eſculentum, igne jam mitigatum, in buccam, niſi fuiſſet opportune deterritus, injeciſſet. Magnum ſane imbecillitatis humanae in homine praeſtantiſſimo documentum. Hac tamen capitis deſtitutione laboranti non raro antiqua virtus rediit; & dicta aut reſponſa ab eo ſunt prolata ſapienter. Cum ſtulte a quodam beatus ex eo praedicaretur, quod ei, lectulo in bibliotheca ſtrato, mediis libris indormire liceret: *Atqui beatus ille eſt*, reſpondit, *qui libris advigilat*, *non qui indormit*. Et cum aliquando tremor manibus incidiſſet; in eas titubantes animadvertens, *Eja quieſcite jam*, dixit, *ſatis adlaboraſtis*.

XIX. In hujuſmodi ſtatu, ob interceptas animi facultates miſerando, duravit Mazochius ad annum uſque CIƆIƆCCLXXI. ceterum adhuc robuſto corpore vigebat. Etenim nec firmitate ſtomachi laterumque, nec vaſtitate vocis deſtitutus ad hanc diem fuerat: exquiſitis etiam ad videndum audiendumque ſenſibus utebatur. Quam ſane firmam conſtitutionem ipſe debebat ante actae vitae temperantiae, quae vires incolumes tradiderat ſenectuti. Media vero anni praeteriti aeſtate (quae tempeſtas fere ſemper infeſta ei fuerat) debilitari ſtomachus, objectoſque cibos non avide, ut antea, appetere; mox ei crura immodice intumeſcere ſunt viſa. Ex neutro autem incommodo quid

quid diri portendi putabatur; quandoquidem ſuperioribus annis idipſum ei uſuvenerat: ſed adventante autumnali tempore ſtomachus corroborari, & crura exſiccescere ſolebant. Sed hoc anno res contra expectationem cecidit: namque faſtidio ciborum magis magiſque ingraveſcente, ruptoque crurum oedemate, occurri nequiit, quin gangraena erumperet; quae celerrime depaſcens, eum biduo abſumpſit. Pridie quam ſecuta mors eſt, cum eam omnia jam impendentem minarentur; Nicolaus Ignarra, veritus ne in ſolitudine noctis quid laevi accideret, ab ejus latere diſcedere nolebat; eamque voluntatem ſuam Philippo Mazochio, ratus a ſene non intelligi, palam ſignificarat. At ille ad utrumque ea de re colloquentes converſus, haec verba ſatis memoranda, fideique ac ſpei in Divinam Providentiam plena protulit: *Ne mea cauſa trepidetis. Qui me Deus condidit, is mihi abeunti proſpiciet.* Simul ac dies ſequens illuxit: extrema Eccleſiae Sacramenta collata ſunt. Paullo poſt Ignarra advenit; ac vultum prolapſum, vocem debilitatam, dejectaſque vires animadvertens, eo uſque contineri nequiit, quin ei lacrimae coram erumperent. Non latuit ſenem, qui ab eo cauſam luctus ſciſcitatus eſt; & cum nullum reſponſum certum ſibi reddi cerneret, *Rem totam*, ait, *intelligo mi Nicolae: Ego quoque te, ut mater filium, ex animo complexus ſum*. Quae ſincera animi denuntiatio uberiores ab Ignarra lacrimas elicuit. Huic porro plorandi finem nullum facienti, ille animos fecit, & ut aliquando quieſceret, hortatus eſt: tum illud addidit: *Cura ut haec in Eccleſiae*

commentariis ſcribantur: Alexius Symmachus Mazochius obiit: quod mandatum etiam nocte praeterita Philippo ſuo ſemel atque iterum dederat. Ex quo autem morbi vis invaluerat; a pluteo, ubi adſidere ſolebat, haud umquam diſceſſit. Hìc tum ſedentem ac placide compoſitum, nonniſi venerabundus aſpexiſſes: nam praeter oris gravitatem, honeſtumque totius corporis habitum, ea vernabat in fronte tranquillitas, ut haud dubie appareret; ipſum enavigato mortalis vitae freto, in proximo eſſe, ut in immortalitatis malaciam inveheretur. At viribus paullatim deficientibus, pridie Idus Septembres anni CIↃIↃCCLXXI. Naturae, quod unum reſtabat debitum, reddidit; namque antea dum fuerat, caſta innocentique vita Legibus, ac doctis editis operibus Litteraturae, cumulatiſſime ſatisfecerat.

XX. Praeter enim ea, quae enumerata ſunt opera, multa alia pro re nata ſcripſit ediditque, non minori adprobatione plauſuque excepta. Hortatu Caeleſtini Galiani, Capellani Majoris Regis Caroli, *Diſſertationes Tyrrhenicas*, Latine more ſuo elucubravit, quae Italice aliena manu, redditae, anno CIↃIↃCCXLIII. Romae prodierunt. In obſequium Cardinalis Quirini, qui nonnihil de Corcyra ſcripſerat, *Schediaſma de antiquis Corcyrae nominibus* excudit: eique ipſi nuncupavit Diatribam de *Diptycho Quiriniano* ac *Brixiano*, deque *Graeco Prophetarum Codice Chiſiano*: quo plura ſcitu jucunda de vetuſta parandi compingendique papyros, & ſcribendi ratione, congeſſit. In Etymologicum Voſſii Neapoli recuſum, contulit luculentam ſim-

ſymbolam; non ſolum emendatis, quae ſecus deductae videbantur, originationibus; ſed etiam plurimis aliis, mollius ac felicius euntibus, etymologiis expoſitis. Praela etiam Veneta exercuit, quorum typis ejus Scriptio *de Publicis* & *Publiciis* repraeſentatur. Dominico Georgio ab intimo Benedicti XIV. Pontificis Maximi ſacello, conſultus, Epiſtolam ſcripſit; in qua ſuam de vetuſta inſcriptione lectu ardua ſententiam aperuit: quam a nonnullis improbatam, graviter curis poſterioribus, venuſteque propugnavit. Exſtant quoque ejus Epiſtolae ad Felicem Sabatellium Aſtronomiae in Academia Neapolitana Profeſſorem, *De Graeca Inſcriptione in poculo Pſeudo-Socratico exarata*; & ad Jacobum Caſtellum ICtum Neapolitanum *De Mutilae expugnationis hiſtoria* Et. Epiſtolae quidem, ſi quas nunc editas ſupputaris, haud multae ab eo ſcriptae comperientur; at vero ſi is earum, quas in amicorum gratiam de variis litteraturae argumentis conſulentium, exaravit, adverſaria ſibi reſervaſſet; profecto alias plures admetiremur. Orationes ſunebres duas pro ſuggeſtu duarum illuſtrium Eccleſiarum Cathedralium habuit; quarum primâ Capuae Cardinalem Caracciolum ejus Vrbis Archiepiſcopum, alterâ Neapoli Clementem XII. Pontificem Maximum more majorum laudavit. Compoſuit etiam carmina non pauca, venuſtate, elegantia, ac lepore affluentia: Inſcriptiones vero, cum marmori mandatas, tum in temporariis molibus expoſitas, tot tantaſque, ut ad juſti voluminis modulum accedant. In Polybium, Ciceronem, Livium, Hiſtoriaeque Auguſtae

Scri-

Scriptores, Spicilegia adnotationum MSta reliquit: Oscae Inscriptionis caussâ, a se illustratae, plurima de Tyrrhenia Campaniae disseruit: Partem aliquam Tabularum Iguvinarum interpretatus est; praeceptionesque, queis cetera expedirentur, tradidit. Linguam Latinam quamplurimis novis vocabulis ex antiquarum inscriptionum thesauro collectis, locupletare destinarat. Postremo Dissertationes sacri prosanique argumenti, adeo multae in ejus bibliotheca premuntur, ut si catalogus hîc pertexeretur, verendum esset, ne lector plus aegritudinis ex earum desiderio, quam voluptatis ex pleniore Mazochianorum laborum cognitione, caperet.

XXI. Tot autem, tantis, tamque diligenter elucubratis operibus haud certe suffecisset; nisi ei summa temporis parsimonia, affluentem ad id otii usuram peperisset. Totus enim suae vitae cursus nonnisi vehemens ac perpetua lucubrandi contentio fuit. adeo ut ad id unice esse a natura factus videatur; Hinc, assuetudine quoque in habitum conversa, factum est, ut & majore ipse voluptate impetuque ad litteraria, quam improbus aleator ad ludicra negotia, ferretur; & nihil ei contra molestius accideret, quam ab sua occupatione vel tantulum interpellari. Et quidem nullum horae momentum temere sibi abire passus est; ac subsecivum adeo magni pendebat, ut insignem jacturam fecisse crederet, si disperdidisset. Quid quod nec ipsas ambulationes sibi otiosas decurrere sustinuit? Enimvero numquam ei defuit, quod in id tempus agere reservasset: praesertim Capuae cum

mo-

moraretur, ubi ſecretiora ad apricandum ſpatia erant, pleroſque poëtas Graecos ac Latinos deambulans perlegit. Ac ſicubi amicus obviam factus admonuiſſet, ut eo ſaltem tempore relaxationis otii jucunditate frueretur, objecta illa Pliniana exprobratione, *Poteras has horas non perdere*, ſeſe appoſite purgabat. Eodemque temporis redimendi ſtudio ſollicitus, peregrinationes aut numquam, aut rariſſime, ſuſcepit. Quotannis ab aeſtate media ad autumni initia, ſalubrioris caeli reſpirandi cauſſâ, in ſuburbanum aliquod praedium conceſſit dormitum: & quamdiu Capuae ſubſtitit, ad Sanctum Priſcum; Neapoli, ad Seminarii Arenulanum divertit. Vtramque autem villam ceteris antepoſuit, tum ob ſalubritatem, tum maxime ob loci propinquitatem: eo enim concedere praecipiti jam die, atque inde caelo vix albente remeare cito ad ſua in urbe munia poterat. Namque hoc etiam ad ultimam ſenectutem retinuit, ut incerta adhuc luce e culcita proſiliret; & aliquando amicum increpantem, cohortantemque, ut liberaliori ſomno ad lucem indulgeret, hac interrogatione retardavit: *Quid, ſodes, Demoſtheni dixiſſes, id maxime praecaventi, ne a ferrariis fabris, ad opus omnium maturiſſime ſurgentibus, anteverteretur?* Cum vero in bibliothecam ſuam ſeſe abdidiſſet, principio ad pluteum ſedebat; ſed mox hoc libris jam occupato, ceteros quos tractaturus erat libros, ſuper cubili, aut in ſolo, explicare conſuevit: itaque prout ei uſuvenerat, vel genibus innixus, vel humi procumbens, integras horas lectioni aut ſcriptioni tribuebat. Scripturus quae

ad-

adnotavisset, nunquam chartam mundam adhibuit; affirmate professus, sibi omnino haesisse aquam, cum exarare in mundo suscepisset. Chartas igitur obvias quascumque calamo subjiciebat; ac si quid addere, scriptave aliter texere, vel partem retexere voluisset; illam ipsam chartam, qua desecando, qua schedulas margini hinc atque hinc glutinando, prodigialiter variabat. Quamobrem glutinis vasculum scribenti semper adfuit; & forte cum amicus intimae admissionis, admiratus ejus in lucubrando celeritatem, *felicissimum scriptorem* salutasset; ipse argumentum laudis artificiose alio detorquens, intentoque ad id vasculum digito, *Rectius*, inquit, *mihi crede*, *dixisses glutinatorem*.

XXII. Prosperiore senex, quam junior, usus est valetudine. Adolescens laboribus immodicis exercitus, saepe de stomachi cruditate doluit. Sanguinem quoque non parce exspuit juvenis; & ne ea quidem dira specie deterritus, sibi parcere didicit. At haud ita postea tanta capitis debilitatio secuta est, ut plane a legendo scribendoque totum biennium volens nolens abstinuerit: quo tempore jocose dicere solebat, mirari se, quî tam repente, ac sine suo vitio, in *Acephalorum* errores incidisset. Ferme sexagenarius igne sacro, medium corpus ambiente, infestatus est. Quatuor supra septuaginta annos natus triduano ac molestissimo singultu pulsatus, ad id discriminis adductus est, ut eo se exanimatum iri crederet; ac sane conclamatum fuisset, ni quarta lux laboranti attulisset tranquillitatem. Praeter autem has aegrotationes, quae si ancipites ac periculosae fuerunt, diuturni-

nitate ; ſi diuturnae , periculo caruerunt , firmam ceteroquin a natura conſecutus eſt conſtitutionem , ad labores ac vigilias habilem ; quam tueri etiam ſtuduit tum rerum omnium , quas obeſſe ſenſerat , fuga ; aequabilique ac temperato vitae genere ; tum frugali victu , quem per quadraginta annos nunquam variatum capere conſuevit , inclinata ad veſperam die ; ut menſâ ſerius dilatâ , plus otii redimeret , quod lucubrationi daret . Namque a prandio ad primas lucernas neque ſcripſit , neque legit quidpiam ; ſed interea vel amicorum , ſi qui aderant , conſuetudine uti ; vel chartas ab ſe recens exaratas ſimul aptare ; libroſque paſſim effuſos , ſuo quemque loco reponere conſuevit. Atque aegre tulit , ſi quis grandaevum ſenem , nunc humi ſtrâtos libros colligentem , nunc ſe hac atque illac vehementius jactantem , miſeratus , auxiliarias manus conſerre voluiſſet : *hujuſmodi* enim *conatum in qualiſcumque gymnaſticae ſtudium ſibi reſervaſſe* dictitabat . Medicamenta fere nulla guſtavit praeter rhabarbarum ; cujus moderatam quidem portionem in ſingulos prope dies mandit , ad ſollicitandam alvi pigritiam ; duplo vero majorem adhibuit , cum pituitam erumpere praeſenſiſſet : hoc enim pharmaco illabenti rheumati , & quidem utiliter , occurrit . Praeterea illud etiam notatu dignum eſt , ipſi pulſum arteriarum , cum recte haberet , intermiſiſſe ; aequato vero ſpatio micuiſſe , cum febriret : imo numquam eurythmia major , quam in extrema ejus valetudine , animadverſa eſt . Staturae juſtae fuit , appoſitae ad dignitatem ; quamquam ob nimis maturatam humero-

rum incurvationem nonnihil imminutae. Itaque praesagium illud, quod Plinius ex Aristotele retulit, *longae esse vitae incurvos humeris*, in longaevo Mazochio confirmatum est. Capitis non exigua moles ac rotunditas; latissima frons, plurimis rugis, aeque ac facies, asperata; supercilium laevum altero elatius; & labium inferius nonnihil pendulum, evidenter eum a ceteris, perspicueque distinguebant. Color, quamdiu ipse sub labore gemuit, pallidus; at cum vitio mentis cessavit, sanior atque etiam rubicundus. Latum pectus, ac respirandi viae faciles liberrimaeque, ut citra anxietatem loqueretur, etiam dum scandere festinasset. Brachia torosa; ac manus adeo crassae, ut pugilem aptius decerent. Ceterum tota oris species, habitus, incessus, vestimenta denique ipsa, ad tantam erant composita dignitatem, ut externo etiam apparatu tueretur opinionem eam, quam apud omnes de virtute sua, ac prisca severitate merito concitarat.

XXIII. Celebritatem sui & generis & nominis, quantum alii contra solent affectare, declinavit. Cuidam Mazochio, municipi civitatis Vrbevetanae, viro generoso (qui ex domesticis commentariis eruerat, Mazochiam familiam Vrbevetano in Capuae viciniam fuisse traductam) gratulanti secum de comperta consanguinitate, principio quidem officiose respondit; at vero cum iterum atque iterum ad conferendas ea de re notitias invitaretur; reprehendi negligentia scribendi, quam communis prosapiae illustrationi adlaborare, maluit. Cum Cardinalis Quirinus a Benedicto XIV. Pontifice Maximo enixe flagitas-

taſſet, ut Noſter virtutis cauſsa in Collegium Cardinalium cooptaretur; & amici cohortarentur, ut illi gratias, ſibi non inutiles futuras, ageret; deteſtatus eſt illorum conſilia; atque ad Cardinalem ſcribere, etſi antea frequenter conſueviſſet, tamdiu intermiſit, donec illum eo ſtudio ſuperſediſſe intellexit. Nemo umquam honores ambientem deprehendit, faſtidientem univerſi vidimus. Quaecumque vero munera vel ornamenta conſecutus eſt, ea ſecretum domeſticorum parietum cuſtodienti, neque opinanti, collata ſunt. Atque ex eodem deliteſcendi ſtudio fluxit, ut cum per dignitatem ſuam uti inſignibus licuiſſet; ipſe tamen ſic indutus prodiret in vulgus, vix ut a graegario Sacerdote diſcerni potuiſſet. Nihil aeque moleſtum tulit, quam a quoquam domi non alia, niſi ſui videndi cauſsa, adiri. Flecti nullo potuit modo, ut pingi pateretur; nec niſi biennio antequam e vita diſcederet, neque ſciens neque prudens, exceptus eſt coloribus. Ac profecto interroganti, ecquis in ea tabula ſibi videretur depictus, *Senex quidem eſt*, reſpondit, *qui calamum ſtringens*, *quid ſcribere meditatur:* eo nimirum habitu expreſſus a pictore fuerat: & mox cum adveſperaviſſet, alioque tabula transferretur; ſuos admonuit familiares, uti curam gererent, ne illi ſeni ad ſcribendum intento, lucerna deſideraretur. Itaque quamdiu ſui compos fuit, ne pingeretur reſtitit; mente abalienatus prohibere non potuit.

XXIV. Qui gloriae ſuae fugaciſſimus fuit, in aliis commendandis exſtitit aliquanto prolixior: idque non ambitione, neque vitio garrulitatis, ſed utique ex animi ſententia, ac libentiſſime factitabat. Prae-

 ſtan-

ſtanti ingenio abundavit, atque etiam proptiſſimo acerrimoque; neminem tamen momordit, neque alios coram ſe male de quoquam dicere paſſus eſt. Et cum ſaepe de eo, qui ab ſe olim inſtitutus atque eruditus, beneficioque ſuo ad aliquam fortunam adrepſerat, deinde voce ac ſcripto inſectari numquam requieſcebat, ſermones inciderent; non ſolum rei indignitate minime commovebatur; verum etiam reprehenſores patientia ſua mollitos; ad commiſerandam hominis levitatem traducebat. Et quamquam certo comperiſſet, hinc Aſſemanum Stiltingiumque, hinc nonnullos adoleſcentes, nonniſi ejus ſollibus animatos, atque incitatos, intempeſtive, ne quid gravius dicam, ſenectutem inquietaſſe ſuam; mitigare quoquoverſum hominem ſtuduit; declinantique de via occurrere, ac ſalutare occupabat: & aliquando ex aegrotatione decumbentem intelligens, humaniſſime convenit. In conſuetudine familiari ad hilaritatem ſe ſe explicuit, & ingenioſe acuteque dictis jucundiſſime capiebatur; ipſe quoque urbane ac ſalſe reponere didicit: quamvis auditorem eſſe anteponens, pauca interloqui, eaque ſingultim, conſuevit: ſic ut ſi quis doctrinam ejus eruditionemque e ſermonibus colligere voluiſſet; profecto haud ſatis inſtructus ad judicandum deſcendiſſet. Itaque illud quod Spintharus Tarentinus de Epaminonda dicere ſolebat, *ſe noſſe neminem, qui plura ſciret ac pauciora loqueretur*; id inquam ad Mazochium, cui vulgaris eloquentiae parum, doctrinae plurimum, commode vereque traducerem. Morum verborumque modeſtiae reliquus vitae atque inſtituti ſui apparatus ap-

apprime respondit. Familia contracta, at bene morata usus est; eamque summa humanitate tractavit; ac saepissime ipse per se, aetate etiam gravis, vernaliter obibat ministeria, illi ut parceret. Bibliothecam neque amplissimam, neque luculentissimam, sed quantum satis, habuit. Cetera vero domestica supellex erat ejusmodi, ut facile priscae patientiae documenta exhiberet.

XXV. Namque non solum cum viribus valeret, detestatus est commodorum nimietatem; sed etiam senio debilitatus, ut aliquando mollius secum ageret, nullis amicorum exhortationibus expugnari potuit. Parvo igitur contentus, a cupiditate acquirendi semper abhorruit; & cum legitime ditescere potuisset, noluit. Totam enim aetatem amicorum temporibus traduxit, quaecumque scripsit, ediditque, ea aliorum vel hortatu excitatus, vel fractus auctoritate, sic demum confecit: attamen e tot tamque diuturnis lucubrationibus, in amicorum gratiam, vel in Principum obsequium elaboratis, ne teruncium quidem percepit. Itaque quam artem ingenuam professus est, ab ea cauponanda longissime abfuit; studiaque liberalia animo vere ingenuo ac liberali tractavit. Ac non solum novas opes abominatus est; sed etiam merito suo partas, ac proinde bene fundatas, quam parvi faceret, negligeretque, ex ejurato a se lucrosissimo Decanatu Campano evinci facile potest. Et quamquam a Cardinali Spinello, qui eum Capua Neapolim eduxerat, statim Canonicatu Neapolitano fuisset cohonestatus; adeo non sarcitum ea compensatione fuerat de-

detrimentum, ut ipſe identidem illud Homericum χρύσεα χαλκείων (*aurea cum aereis*) in rem ſuam facete deduceret. Hujus jacturae memor Cardinalis, haud diu poſtea Sacerdotium contulit; aliaque poſthac pro re nata ſe daturum ſpopondit. At vero Mazochius, actis pro ejus erga ſe voluntate gratiis, & collatum Sacerdotium reſignavit; & *ſe non commiſſurum*, addidit, *ut quae in aliis quidem utilius collocarentur, ſibi vero non levamento, ſed eſſent ſollicitudini, reciperet*.

XXVI. Jam vero ut voluptatum vitiorumque exſecrationem, ſic temperantiam, atque omnium exercitia virtutum, non e Cynica vel Socratica diſciplina, ſed e ſanctitate repetiit Chriſtianae profeſſionis. Profecto ſi externa dumtaxat ejus lineamenta, ac nudos vitae actus advertere libuiſſet; tibi ob oculos emendatiſſimam philoſophi imaginem obverſari putaſſes. At vero ſi ſcrutari intus hominem, & quibus ipſe principiis, quave maxime inſtitutione confideret, dignoſcere voluiſſes; in Schola quidem certe Chriſtiana exercitatiſſimum perſpexiſſes. Itaque cum temperanter, juſte, fortiter, aut prudenter ageret; eo collineabat actiones ſuas, ut velle ſe in primis Evangelicum ſcopum attingere, non obſcure ſignificaret. Semper ſibi conſtans, gravis, ſeverus etiam, perpetuus recti contemplator, & exſecutor. In ancipiti conſilio, ubi non ſatis liqueret, quid omnium maxime eligendum foret; in eam inclinavit ſententiam, quae probabilitate majore fulciretur: abnorme ſibi videri dictitans, ut qui a Deo quotidie poſcerent, ut

lu-

lucem veritatemque suam emitteret, in eam porro, unde unde emicantem, intendere paullo attentius aciem negligerent. Quod exactum agendi propositum eo usque retinuit, ut cum sine justa reprehensione posset partem mitiorem, & gravissimorum virorum judicio usuque probatam, sequi; severiorem sit amplexatus. Ac proinde Ecclesiasticos proventus non ante attigit, quam patrios reditus, & cathedrarium honorarium excussisset; illisque adeo parce contracteque usus est, ut libros etiam, queis carere vix poterat, tali pretio coëmere, sibi aliquando religioni duceret. Quin immo tantum absuit, ut Ecclesiastica emolumenta ad lautitiam converteret, ut potius se ipsum plecteret, dummodo illis parceret: namque & ipse arctam vixit vitam, & Philippum fratris filium, sibi utilem ac plane necessarium contubernalem, ut aere privato viveret, suamque in communes sumptus conferret symbolam, coegit.

XXVII. Vir ad scrupulositatem usque exactus; modulo religionis res quascumque metitus est; & eas prae ceteris aestimavit, quas magis a Deo probatum iri confideret. Divinae Providentiae se totum confidentissime commisit: eamdemque fiduciam excitare aliis, atque accendere adnisus est. Vtcumque sibi res cecidissent, continuo e Sacris Scripturis ea oracula depromebat, quae vel prospere usum in officio continerent, vel adversa fortuna jacentem erigerent. Pietatis quae erant exercitia, diligenter & accurate frequentavit. Res sacras, Ecclesiae ritus, caeremoniasque exquisita tractavit reverentia. Sacrorum Bibliorum

rum Codicem, veluti adumbratam Divinitatis praesentiam, suspexit: quocirca ut is loco haberetur decenti spectatoque, praecavit. Quotidie Virginem Deiparam conceptis precibus salutavit; & singulis etiam diebus, dum per aetatem minus occupatam licuit, in more habuit pangere in ejus laudem epigrammatium: quas porro lucubratiunculas exitu cujusque mensis flammis tradere solebat; Caroli Majelli, qui sibi in eo pietatis officio praeluserat, exemplum & circumspectionem imitatus. Angelos Custodes impenso coluit studio, ab iisque se pluries e praesenti discrimine evidentissime ereptum, testatus est. Crucifixi imaginem, quam ob oculos ferme habuit semper, praecipue cum ad pluteum sederet, peculiari cultu prosequebatur; eamque intueri atque osculari consuevit, interea dum a labore paullulum interquievisset. Nihil prorsus agere aggressus est, aut quopiam ire instituit, ni semet antea signo crucis initiasset; nec poculenti aut esculenti attigit quidquam, quod rituali benedictione non lustravisset. Quid quod nec propalam recitare preces; genuaque medio in itinere adorationis caussa flectere, erubuit? Atque haec aliaque plurima religionis exercitia, ea quidem decentia, gravitate, ac majestate peregit, ut adstantes in sui admirationem, ac reverentiam raperet; tanta vero perseverantia ac tenacitate; ut quamquam ultima senectute memoria rerum omnium penitus excidisset, illa tamen ad suprema vitae momenta omnino retinuerit. Apostolico etiam zelo flagrans multa laudabiliter effecit. Archiepiscopos, queis aderat, ut occurrerent

li-

licentiae, ſi quam gliſcere comperiſſet, & animoſe monuit, & efficaciter incitavit. Capuae cum conſiſteret, amicis aliquot ſacerdotibus perſuaſit, ut in ſeptimum quemque diem convenirent in praeſtitutum locum, ſecum de ethico aut religioſo argumento oratorium in morem colloquuturi; atque ut hi ipſi per oppida vicoſque Evangelici praecones mitterentur, a Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Campano obtinuit. Non raro miniſtros altaris, quos aliquando ſacris fuiſſe aut praecipitanter aut indiligenter operatos animadvertiſſet, in Eccleſiae ſecretario molliſſime correptos rubefecit, & emendavit. Nemo unquam ipſo praeſente quid irreligioſe, aut proterve dicere, vel facere incompoſite, auſus eſt: quin immo ut quis in ejus conſpectum veniſſet, ſe quoque factum repente modeſtum ac religioſum ſenſiſſet. Neque ſolum ea auctoritate apud noſtros homines valuit; ſed apud heterodoxos quoque in ſummam viri graviſſimi opinionem venit. Jo. Jacobus Greiff, cujus antea memini, commentarium conſcripſerat; in quo ubi plura de coli apud veteres uſu erudite diſſeruiſſet, nonnulla ad calcem operis e Luthero, exſecrandae apud nos memoriae, delibarat, probaveratque. Hunc autem librum Lutheranus homo Mazochio mittere dono ſtatuerat; ſed noſtri viri religionem atque auctoritatem reveritus, ex eo volumine paginas illas extremas, Catholicis infenſas, forfice reſecuit; anteponens, ſemiraſa, uti vulgo dici ſolet, barba ridendum occurrere; quam juſtam graviſſimi viri indignationem, ſi ſecus feciſſet, adire.

XXVIII. Et tamen vir talis tantusque cum esset, auctoritate porro, quanta qui maxime, valeret; vix dici potest, quam demisse de se, humiliterque sentiret. Quam suimet exilem opinionem dictis & factis sic comprobavit; ut affirmate dixerim, plura ac luculentiora suae modestiae apud nostros homines, quam doctrinae in republica litteraria superesse monumenta. Jam vero virtutes eas, quae commendant humanitatem, egregia fide studioque fovit & excoluit. Namque amicos observavit, & qua re potuit, impigre juvit; iisque praeter ceteros delectatus est, quos potius morum probitas condiret, quam similitudo studiorum illustraret. Quocirca jucundissime usus est Canonicis Jacobo Fontana, & Carmino Scatula; quorum ille Seminarium Vrbanum, hic Vicanum prudentissime rexit; viri optimi uterque, & vitae innocentia, judiciique maturitate spectatissimi. Sed & ejus mansuetudinis, commiserationis, strenuaeque in egenos sublevandos sollicitudinis, illustria & praeclara exstant documenta. Et quandoquidem propiora quae sunt, solent efficacius animos excitare; dignum plane est, quod hîc leviter attingatur, praesentissimum ejus officium in viduam familiaris sui, epidemica anni CIƆIƆCCLXIV. lue extincti, collatum: & quamvis tunc aetate gravis vix ingredi pedibus valeret; tamen per limina magistratuum deferri voluit; neque antea sollicitare destitit, quam illius inopiae satis fuisse prospectum intellexisset. Neque solum nulli operae, diligentiae, vel labori; sed nec

nec ſumptibus pepercit, dum ſuccurreret aerumnoſis. Cum aliquando in Capitulum Canonicorum relatum fuiſſet, vellent nec ne jure perſequi quemdam aeris debitorem, pluresque lege in eum agi cenſuiſſent: ipſe, qui neque opibus abundabat, neque obaeratum de facie quidem norat; ſed quia ad extremam egeſtàtem ſine ſuo vitio redactum compererat, clanculum adiit Capituli negotiorum geſtorem, eique ducentos centuſſes (tot enim ille miſer debebat) diſcerpto chirographo, numeravit. Ipſe vero rem ſuam, ſi modo ſua dicenda illa eſt, quae indigentibus paratiſſima erat, hoc pacto diſpoſuit. Ex univerſis bonis praeter propter beſſem in ſui uſum impendit; trientem reliquum, nonniſi tenui victu ac parſimonia ſuperantem, pauperibus erogavit. Atque ut ea liberalitas aliquamdiu etiam poſt fata ſua perennaret, ſic teſtamentum condidit; ut quae ſibi e patre contigerant, Philippo ſuo, quem ſcripſit heredem, non tam largiretur extraneo, quam gentili reſtitueret; reliqua vero omnia, ne bibliotheca quidem excepta, ut heres, arbitratu boni viri aeſtimaret; ac porro pretium pauperioribus, non tumultuaria munificentia, ſed diſcrete perque temporum intervalla, diſtribueret. Cum ergo is ita ſe geſſerit, mirandum haud eſt, ſi vita ejus excellens omni genere laudis, & mors, tametſi diu vixiſſet, viſa eſt acerba. Sollemnibus exſequiis, magnaque populi frequentia elatus, in aede S. Reſtitutae ſepultus eſt: ubi Philippus aman-

tiſſimo patruo tumulum affabre ſcalptum (1) cum ejus effigie ex marmore poſuit.

VI-

(1) Joſephus Sammartinius, domo Neapoli, ſcalptor ſuae aetatis nulli ſecundus protomen Mazochii ex Lunenſi marmore ſculpsit. CASTALDIVS.

Pro coronide Mazochii Opera tum edita, tum inedita recenſere commodum duxi; quod a noſtris ſcriptoribus minus accurate factum eſſe, Mazochii neceſſarii ſaepe ſunt conqueſti.

Opera Edita

1. *In mutilum Campani Amphitheatri titulum, aliaſque nonnullas Campanas inſcriptiones commentarius. Neapoli* 1727. 4.

In ſupplemento Johannis Poleni ad Theſaurum *Antiquitatum Romanar.* Tom. V. p. 485. Et cum acceſſionibus auctoris, cura Vincentii Calà, nunc Archiepiſcopi Surrentini. Neapoli 1797. 4.

2. *De Publicis, & Publiciis* (ſervis) *Parergon.* Extat in prima Collectione Opuſculorum P. Calogerà Vol. V. ſine auctoris nomine.

3. *In funere Nicolai Card. Caraccioli Campanorum Archiepiſcopi Oratio.* Neapoli 1728. 4.

4. *Ad Ampliſſ. Virum Bernardum Tanucium Regis noſtri a ſecretis Epiſtola, qua ad* XXX *viror. Clariſſ. de Dedicatione ſub Aſcia commentationes integrae recenſentur; quibus Mazochius adnotationes adſperſit, curaſque poſteriores adjunxit.* Neapoli 1739. 8.

5. *In funere Clementis* XII. *Pont. Max. Oratio.* Neapoli 1740 fol.

6. *Diſſertazioni ſull' origine de' Tirreni* h. e. IV. V. & X. editae fuerunt Romae Anno 1741. tertio Vol. *Delle Diſſertazioni Cortoneſi.* Sed octo primae diatribae de Tyrrhenorum origine reperiuntur II. Vol. Opuſculorum Mazochii.

7. *Franciſci Mariae Muſcettulae Archiep. Roſſanen. diſſertatio theologico-legalis de Sponſalibus, & Matrimoniis, quae a filiis familias contrahuntur, parentibus inſciis, vel juſte invitis.* Neapoli 1742. 8.

Ibidem 1762. 8.

Romae 1767. 4.

Bruxellis 1771. 4.

Venetiis 1772. 4.

8. *De antiquis Corcyrae Nominibus ſchediaſma.* Neapoli 1742. 4.

9. *De Diptycho Quiriniano, & Brixiano Epiſtola.*

10. *De graeco Prophetarum Codice Chiſiano diatriba.*

11. *De librorum Bipatentium; & Convolutorum antiquitate diatriba.* Haec tria Opuſcula edita fuerunt Neapoli 4. Cardinali Quirinio nuncupata: eademque reperiuntur in Collectione Calogeraniana Vol. XXXIV. & LXXIII.

12.

12. *In vetus Marmoreum Sanctae Neapolitanae Ecclesiae Kalendarium Commentarius*. Neapoli 1744. 4. I. *vol.* 1745. II. *vol.* 1755. III. *vol.* Hisce tribus voluminibus priores tantum sex menses Kalendarii recensentur.

13. *Epistola, quae veterem inscriptionem christianam nuper in coemeterio Praetextati detectam interpretatur, & illustratur*. *Romae* 174 . 4.

14. *Epistola posterior ad Illustrissimum Dominicum Georgium super eamdem inscriptionem*.

15. *In causa Hilari fide constituti* (sunt verba inscriptionis christianae superius dictae) *Actorum recensio ; qua totum inscriptionis Hilari judicium per temporum articulos dispositum proponitur*. Neapoli 1745. 4. Scriptiuncula haec, sane quam elegantissima, sub nomine Philippi Mazochii in vulgus fuit missa.

16. *Dissertatio historica de Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae semper unicae variis diverso tempore vicibus*. Neapoli 1751. 4.

17. *De Sanctorum Neapolitanae Ecclesiae Episcoporum cultu vol. duo* Neapoli 1752. 4.

18. *Graecae inscriptionis in poculi pseudo-Socratici extremo labro exaratae explicatio ad Felicem Sabatellum Epistola*. Neapoli 1752. 4. Reperitur II. Vol. Opusculorum Mazocchii.

19. *Ad Jacobum Castellum Epistola de Mutilae expugnationis Historia*. Extat Vol. III. parte III. Histor. de *scriptorib. Regni* Jo. Berardini Tafurii, & I. Vol. Opusculorum Mazochii.

20. *Commentarium in Regii Herculanensis Musei aeneas Tabulas Heracleenses*. *Vol. duo*. Neapoli 1754. fol.

21. *Actorum Bononiensium SS. Januarii & Soc. MM. repetitae Vindiciae*. Neapoli 1759. 4.

22. *Spicilegium Biblicum, quo adnotata in Vetus Testamentum continentur*. Neapoli *Vol. duo* 1762. 1766. 4. Volumen III. editum fuit anno 1778. Curante Nicolao Ignarra.

Etymologiae quamplurimae ex Oriente petitae, & Tyrrhenarum vocum originationes. Reperiuntur evulgatae, propriis locis adpositae, in *Etymologico* Vossii editionis Neapolitanae anni 1762.

24. *Adnotationes ad Campaniam Felicem Camilli Peregrinii*. Extant in Collectione *Historicor. Regni Neapolitani* Vol. XXI. Neapoli 1771. 4.

25. *Opuscula, quibus Orationes, Dedicationes, Epistolae, Inscriptiones, Carmina, ac Diatribae continentur*. Neapoli Vol. I. 1771. Vol. II. 1775. 4.

Opera Inedita.

Quorum notitiam debeo duumviris Mazochianae gloriae studiosissimis, Vincentio scilicet Calà Surrentinorum Archiepiscopo, & Francisco Danielio Regio Historiographo.

26. *Consilium de cultu SS. Neap. Eccl. Antistitum*.

27.

27. *De Leucosia insula*, *hodie* Licosa.

28. *De veteris Herculanei Originibus dissertatio.*

29. *Petri Subdiaconi de Agnelli miraculis cum Mazochii notis.*

30. *Dissertazione sull' iscrizione de' SS. Massimo, e Fortunato.*

31. *De Capuae, reique Campanae Originibus*. Opus hoc & sequens aliud; etsi a Mazochio fuerint promissa; nunquam tamen, ut credere est, illis manum admovit.

32. *Ad Musivum Apsidis Campanae*. Vidimus hoc Opusculum in manu Danielii; qui nobis fecit spem illud quanto ocius edendi.

33. *In Osca seu Etrusca Campana quaedam monumenta.*

34. *Syntagma veterum inscriptionum Campanarum*. Varii fasciculi hujus Syntagmatis extant in bibliotheca Danieliana, ibidemque saepe contrectavimus.

35. *Ad inscriptionem Voconiae Severae apud Granitos in ora Leucosiae.*

36. *De Josepho Card. Spinello commentarium*. De hoc opusculo meminit Sparanus in *Historia S. Neapolit. Ecclesiae* tom. II. pag. 312., sed nulli contigit illud videre.

37. *Praelectiones Biblicae* in usum auditorum. Reperiuntur autographae penes Danielium.

38. *De* Αʹνοινίᾳ *Patriarchali vinique rudimentis.*

39. *De Poësi Hebraeorum.*

40. *Del Vaticinio di Giacobbe.*

41. *Rei Tabernaculariae lib.* II.

42. *Ad Tabulas Iguvinas diatriba*. Reperitur Commentarius hic & quidem autographus apud Calà.

43. *Latinarum Vocum ex veteribus lapidibus Auctarium.*

44. *De Jove Fiazzo*. Extat apud eundem Calà.

45. *De Juvenum varia in lapidibus, & auctoribus notione.*

46. *De Actia Nicopoli.*

47. *De Exactoribus Operum Publicorum.*

48. *De Augustalibus.*

49. *De voce Laterna.*

50. *De nativa Doli, & Doli mali notione.*

51. *Varia, praesertim ad Livium, Polybium, Ciceronem, Gruterum, Sponium, & historiae Augustae Scriptores*. CASTALDIVS.

Vitae Mazochii Synopsim, ipsis diebus, quibus vir ille immortalis decesserat, ab Ignarra conscriptam in gratiam transalpinorum eruditorum; ut ea in Ephemeridibus litterariis referretur, hic recudendam curavimus; ne vel minima nostri Auctoris schedula excideret. CASTALDIVS.

ALexius Symmachus Mazochius Campanus, ex Decano Metropolitanae Ecclesiae Canonicus Neapolitanus, ac Regius Sacrae Scripturae interpres, litteratura vitaeque probitate unus omnium maxime commendandus. Vir ingenio praestante, exquisitoque judicio, constans, impiger, laboriosus; temporis supra quam credibile est, parcus; semperque legendo, meditando, aut scribendo, occupatus. Plurima varii generis scripsit, ob quae omnium judicio consecutus est, ut Philologorum princeps haberetur. Plurimum quoque pro eruendis Ecclesiae Neapolitanae antiquitatibus, ejusque Sanctis Episcopis ad cultum revocandis, laboravit. Seminaria Neapolitanum, Campanum, & Aversanum ut humanioribus litteris imbuerentur, advigilavit; in Neapolitanum praesertim excolendum, operam diuturnam impendit. Benedicto XIV. Pontifici Maximo, ac Regi Carolo, nunc Monarchae Catholico, acceptus, & in pretio habitus fuit. Honores numquam petiit; quos etiam oblatos, verecunde constanterque recusavit. Modestia fuit singulari; numquam de se, nisi humiliter sentire ac loqui visus est; in aliis vero commendandis aliquanto prolixior. A cupiditate acquirendi quam longe abfuit; & cum locupletari honeste potuisset, noluit. Amicos observavit; & re qua potuit, juvit. Comis

quidem & humanus ; ſed ea gravitate ac ſeveritate ; ut majorem ſibi amorem an reverentiam , excitarit , in ambiguo ſit. Reprehenſorem habuit neminem ; adeo caſte & innocenter vixit. Si quem ſibi in re litteraria juveniliter obtrectaſſe accepiſſet ; aequo animo ferebat ; ac Deo viciſſim commendabat . Afflictis ſuccurrit ; obaeratoſque , vitio fortunae ſolvendo impares , non raro pecunia ſublevavit. Modico victu uſus, quidquid ſupererat , pauperibus largiebatur ; quibus etiam domeſticae ſupellectilis pretium teſtamento legavit . Religionis , cujus modulo res quaſcumque metiebatur , obſervantiſſimus, ac pietatis adeo tenax ; ut cum per aetatem decrepitam penitus memoria excidiſſet , in religionis negotio totus ipſe ſine ulla jactura fuerit ad extremum uſque ſpiritum , quem annos natus LXXXVI. menſes X. dies XX. Deo Creatori in pace reddidit Neapoli pridie Idus Septembris Anni CIƆIƆCCLXXI. Elatus ſolemnibus exſequiis , magnaque populi frequentia , in templo Sanctae *Restitutae* ſepultus eſt .

CAR-

CARMINA NONNULLA

Prae foribus Villae Auctoris ad Leucopetram.

VIRGO PARENS ſuccurre; mari terraque potentem
Sentiat haecce tuam Villula noſtra manum.

Ibidem ad Aedem
DEIPARAE SUCCURRENTIS.

SI Tibi, DIVA PARENS, puer in lanugine prima;
Me totum ſupplex tradidi in obſequium:
Si tua circumiens altaria, & ore ſuſurrans,
Incendi auratis thura ſabaea focis:
Audax ſaepe tholo ſuſpendi florea ſerta,
Largus humi ſpargens lilia mixta roſis;
Me nunc devexum, & brumali tempore vitae
Algentem, tua ſit cura, fovere ſenem.

Ibidem
GENIO LOCI.

O Nimium dilecta mihi Petralba, Veſevi
Haud procul Herculeis accola Porticibus.
Quod ſpiro, quod adhuc jucundor lumine Solis,
Munus id omne tuum eſt, & meminiſſe placet.
Olim ſi praeſens mihi fecerit otia numen,
Annueritque lares figere ubi volupe eſt;
A te divelli haud patiar, vel ſi mihi Caelum
Uſquam alibi digito tangere ſors dederit.

 Pro

Pro Legibus Coloniae Sanleucianae datis.

VNde Tibi, Princeps, ſubiit tam grandis imago
Condendi populum iis moribus & ſtudiis,
Queis bene tornatus noſtra hac aetate referret
Falciferi, ut perhibent, aurea ſaecla Dei?
Non aliunde quidem niſi mentis ab arce, tuaeque
Virtutis, ducta eſt vis ea conſilii.
Quod verum eſt, Tu tangis acu; impendentia ſentis;
Atque ipſis rerum perſpicis in tenebris.
Tu Numa noſtri aevi, ſtabili qui pace fruentem
Juſtitia populum & relligione tenes.
In Sylvis ille AEgeriam, Tu in pectoris antro
Conſultas Sophiam, Teque, tuamque fidem.

Subſcribendum imagini Regii Principis.

O Qualis puerum commendat gratia formae!
Quantaque membrorum portio! quale decus!
Mite ſupercilium, frons laeta, & amabile lumen;
Aurorae digitis utraque picta gena eſt.
At quanta in nucleo juſti conduntur & aequi
Semina, ſi in fragili cortice tantus honor?

In Sciothericum ejusdem Principis.

SIs memor o Princeps, tua quando adoleverit aetas,
Vivere sollicitum, non Tibi, sed Patriae:
Sic neque Sol lucet sibi, sed vigil omnia circum
Lustrat; & irradians haec alit, illa fovet.

In diem Natalem ejusdem.

VIvas, o puer: haec Natali vota precesque
Quisque tuo nostrum nuncupat ex animo
Plebs hominum censet, longaevum dicier illum,
Qui plures soles ire redire videt.
Tu contra, Princeps, multum vixisse putato;
Qui multa in Patriam commoda contulerit.

De Studiis puerilibus ejusdem Principis in Ostrea.

OStrea, queis isthaec moles circumdata, Princeps,
Assurgit, caute vitam agitare docent.
Illa quidem, mare si scopulos adverberat undis,
Et vada si boreas ima revelat aquis;
Illa, inquam, valvis inclusa tenacibus, iras
Sic pelagi eludunt, nimbiferosque notos.
Ergo in re dubia mentis te contrahe in arcem,
Fallacisque aurae sollibus obde fores.

Philippo Ursino Gravinensium Duci
Regii Principis Custodi & comiti.

QUi sua magnanimus devovit tempora vitae;
Oblitusque sui, totus in hoc studuit,
Optimus ut Patriae Princeps succrescat alumnus;
Hunc tu non Decium, aut dixeris esse Codrum?

In idem Argumentum nomine Principis.

MEntora Telemachus, Phoenicem jactet Achilles;
Contentus ductu vivo, Philippe, tuo.

In Asinum nomine Valentinum
Regii Principis vectorem.

BRuta quoque extollit (possit quis credere?) fastus:
Ipsa etiam magnis nobilitantur avis.
Ecce Valentinum: viden', ut se se arduus infert?
Vt riget auriculis, ut glomeratque pedes?
Regalem is puerum gestans, agnoscit honorem;
At se haud indignum tanto onere esse putat.
Quandoquidem prognatum asino se jactat ab illo,
Qui sceptrum Superis, asseruitque Jovi:
Cum sunt Titanes conati exscindere Olympum,
Visaque sunt Divûm genva labare metu.
Tunc ille adversum stetit, horrendumque rudendo,
Impii & exleges corripuere fugam.

Hinc

Hinc genitos; quoniam prae Dîs *valuisset* asellus,
Fama *Valentini* nomen habere refert.

Subscribendum imagini Mazochii.

MAzochI viden effigiem? hic aequavit honore
Ingenii heroes, & probitate Deos.

Aliud.

MAzochi, per te Musae, inclementia avorum
Pulsae ultra montes, praeter & Oceanum,
In Latios rediere lares: per te aemula Romae
Facta tua est Capua, & major & egregior;
Magnaque Parthenope statione superba Maronis,
Non minus hospitio est nobilitata tuo.

Aliud.

IUxta Majellos jacet hîc Mazochius, inter
Tres magnos qui maximus ipse fuit.

De Jacobo Fontana, qui primus
Seminarii Neapolitani Regulas edidit.

QVae Numa Romanis, & quae Fontana juventae
Formandae studiis scita tulere, velis
Si conferre, loco fas est habeantur eodem;
Nam cata mens animi, & par in utroque fuit.

Te-

Tene movet, noſter quod non ſublimia captet?
 Vel quod in anguſto gurgite findat aquas?
Non ita: namque animus nec mens divinior; at res
 Illum deſtituit viribus aequa ſuis.
Nempe vel in tenui re quiſquis cernit acutum, &
 Gnaviter; ille Solon, ille Lycurgus erit.

In obitum Jacobi Fontanae.

ERgo terrarum nuſquam Fontana videndum
Se dabit? heu dolor! heu pietas! heu ſordida veſtis,
Squallor, deſertique lares mihi vulnus acerbant.
Ah mors dura ſilex, & inexorabile fatum!
Te ſi tanta fames numquam ſaturata fatigat,
Nonniſi in inſontes artus impingere dentes;
Cur non ex puerûm grege, qui tibi cumque placerent
Sorte capis? nam geſtit ovans, & ſe vovet ultro,
Feſtinatque ſui Patris penſare periclum.
In caput eximium cur debacchare ſceleſta?
At vos arguerim, pueri, queis mors erat aſtu
Ludificanda, gradum cum ſe ſuſpenſa ferebat,
Exſuctura Patris fallens avido ore medullas.
Nam cur non aliquis tactus pietate cucurrit
Sanguinem in exhauſtas rutilantem infundere venas?
Vel cum deficerent vitae ſpiracula, cur non
Pectore componens pectus, labiiſque labella
Suavem, & olentem animam penita in praecordia flavit?
Sic erat in fatis, vultu nunc ille ſereno
Arduus aeternos ignes attollitur ultra,
Et Solis Lunaeque globum, fulgentiaque aſtra.

Sal-

Salve ergo, Fontana, Poli tranſcripte colonus,
Et Superûm ſocius: pietas tua, te tua virtus
In Caelum vehit, ac terrae dat ſpernere ſordes,
Dat contemnere opes, unique incumbere Olympo.
Cetera quid memorem? Nam quis tibi dicere ſumat
Virtutum quam laeta tuo ſeges uberet agro?
Ut cum oculorum acies candentia lumina Solis
Hauſit, ubi nictans viſum deponit, in orbem
Mille videt varias circumvolitare colores;
Sic tuus irradians animus, tua vivida virtus
Stricturas tot ob ora virûm, geminatque nitores.
Verum falſus ego! nec enim te abſente recedet
Oris imago tui, recti ſimul inſtar & aequi.
Occidis haud totus; magna nam parte ſuperſtes
Cum nobis agitas, occumbere neſcius, aevum.
Tertia pars morti data; pars data tertia Caelo,
Sidereas arces bene quae tibi conſcia tranat
Vel pluma levior; ſed pars data tertia nobis.
Nam volitabit adhuc vivax tua ſama per Orbem;
Ad magna & gnatis calcar properantibus addet.
Salve, care Pater, compoſtus pace quieſcas:
Ordine quo jubeat nos te Natura ſequemur.
Tum nobis manibuſque manus atque oribus ora
Conſeruiſſe licebit, & algida membra ſovere:
Tunc & ſubmiſſo maneant dum ſaecla ſuſurro
Alternos Patris, & gnatûm referemus amorem.

Sub-

Subscribendum imagini Francisci Serai.

ATticus hic, sodes, an Laelius, anne Seraus;
Qui fide, amicitia, & gratia utrumque refert?

Subscribendum imagini Paschalis Carcani.

FOEdata ut niteas torrentibus, Hercli, Vesevi;
Hic pro te factus pellis & ossa macet.

Ad Deodatum Targianum.

QVid tibi Persani, consulte Deodate, Caelum,
AEquora quid nemorum tibi visa patentia, & illi,
Scire velim, tractus, (dextrâ quos praepete curru
Praeter rasit equus) nimirum rudera Paesti,
Rudera, concinna quavis non urbe minora:
Quae tu salsus homo & risum captare facetus
(Quum per epistolium cum nostro verba serebas
Paschasio) nihili faciens, nos carpis amice
Cultores veterum tesquorum & scruta legentes.
O bone quid faceres? per humum nos repimus; at Te
Nobiliora manent spectacula; nempe fugaces
Cernere apros, hominum primos ab origine patres,
Per saltum trepidos, nemorosaque pascua; quorum
Pars cadit ante pedes ictu confossa profundo
Detestata hominum intractabile pectus, & iras:
Se rapit ex oculis pars, & per tela, per hostes
Dentibus infrendens aditus se vertit in omnes,
Si qua fuga est leti. Sed quae fuga quive recessus

Oc-

Occulet insontes animas, cum tanta molossûm
Copia circumstet, cum plumbeus ingruat imber?
Quid meruistis apri? ah miseri non digna ferentes!
Quam cito detrita est meritorum gratia vestrûm!
Verum age, si Targiane voles pernosse, quid apri
Sint hominum meriti prisca de gente; necesse est,
Expediam primas repetens ab origine causas.
Ergo ubi ab unoquoque Deo (quo quisque valeret
Munere) in humanum collata est symbola corpus,
Corpus iners, motuque carens, & inutile pondus.
Extemplo aura levis totos illapsa per artus
Excussitque situm, molemque afflavit inertem.
Inde homo, progrediens corpus libravit, & astra
Arduus erecto orbem & vertice circumspexit.
Quid plura? is vitam vivens ea munia obivit,
Queis assueta colunt animalia cetera terras.
Sed quid? inane opus, & pars imperfecta manebat.
Namque recens expressus homo ipsa ab imagine Divûm,
Nil nisi caelestes animo spirabat amores.
Non illi curae thalami, non taeda jugalis;
Sed nec erat, patrem tenera qui voce cieret,
Filius adversa poterat vel parte vocari.
Protinus in Caelo trepidatum: ivere frequentes
Concilio Divi haud in tanto cardine segnes.
Scilicet is terror Superos, ea cura lacessit,
Ne quondam genus humanum labentibus annis
Deficeret, tantusque labor volitaret in auras.
Tum Pater omnipotens sensit sine semine gigni
Nil posse. Vt Cereris mulier cum dona laborat,
Ni quid fermenti sollers immisceat una,

Non panis tumet, aut patulos excrefcit in orbes:
Haud fecus Altitonans fomno in praecordia hiantis
Ima viri, femen furtim inftillavit aprugnum;
(Maluit hoc quadrupes, inerat cui fpiritus acer,
Pluraque inexhauftis genitalia femina venis)
Quo mortalis homo fervente calefceret, inde
Progeniemque fui fimilem procuderet, & cui
Traduce materia vires aptaret eafdem.
Hinc mos obtinuit (coluit quem maxima Roma,
Et glebis uberque viris Oenotria tellus)
Vt quo fponfa die ex amplexu rapta parentum
Inferret pudibunda pedes in tecta mariti,
Tunc aprum conjux mactaret uterque, futurum
Aufpicium certum, laetaeque propaginis omen.
Hactenus aethereas igitur fi vefcitur auras
Gens hominum,neque adhuc extremum eft paffa laborem,
Acceptum an non debet apris id grata referre?
At remeare, mea unde excurrit epiftola, fas eft.
Scire velim, Targiane, loces queis tempora rebus,
An valeas, operum tanto fub fafce; fubinde
Otia & an fallant aufteros apta labores.
Praeterea quid agat tuus invictiffimus Heros,
Nomine Pontanum quem preffius appellarim;
Namque ad Tanufium non fum potis addere mentem,
Quin mihi Pontani fimul obverfetur imago,
Quem Reges coluere virum, coluere Camoenae.
Recte cuncta cadant Regi, hoc quoque noffe laboro,
Quotque apros fua quoque die venabula figant.
Ah Superi faxint, quot millia caefa ferarum
Sternuntur, dextra Regis percuffa rubente,

Au-

Auſpicia in totidem domitarum millia cedant
Gentium, & attrito referat tot ab hoſte triumphos!
 Sed quid plura loquor? vel cur Te tempore laevo
Et male tornatis compello verſibus? Ergo
Delicium, valeas jubeo, Targiane, bonorum;
Meque, precor, (ſi res tanti eſt) quem cernis in aere
Eſſe tuo, & noſtros ne dedigneris amores.

Ad eundem.

AT te DI perdant, Targiane, oblite tuorum:
 Phoenices Siculos quia nunc concludis in arca;
 Idcirco archaicos nitidus contemnis amicos.

Ad eundem.

QUot per inane Polus flammantia ſidera torquet,
 Et quot littoribus Libycis volvuntur arenae;
 Sis, Targiane, mihi toties benedictus in aevum.

Ad eundem.

SUaveolentem animam, miſerae ſpiracula vitae,
 Immortale Deûm nectar, & ambroſiam,
Ebibe Nicoleως, Lipares impune liquores:
 Nam Targianus ad hoc miſit, ut ebiberes.
Quid blateras Ignarra? malus te faſcinat error;
 Nam Targianus ad hoc miſit, ut olfaceres.

Ad eundem.

VIrgineis nuper quae capta eſt hoſpita ſeptis,
Caeleſti cordis luſtret ut igne focos,
Barbara nomen erat, ſed moribus Attica virgo,
Humano cultu mitis & ingenio.
At, rogo, Targianus gnatam qui incluſerit arci,
Barbarus & re ipſa & nomine nonne fuit?

In Papiliones.

IMbelles Pſychae, quae nunc miro ordine rerum
Repitis, inque vices nunc volitatis aves:
Dicite (namque aliis, quot vivunt, id noſſe negatum eſt)
Aëriaſne rapi, an degere praeſtet humi.
Certe ſi qui homines temere extolluntur in altum,
Damnoſique ſibi, & fabula plebis erunt.

ConviƐtores Seminarii Vrbani adhortatur.

NUm crepuere fores? Pueri mentem addite rebus:
Hac Pater atque idem Cenſor adeſſe ſolet.

Cum Fr. Ignatius a Cruce inter Regiae Studiorum Universitatis Professores cooptaretur.

DUm tonat e roſtris Ignatius, atque docentis
Denſum humeris pendens vulgus ab ore ſtupet;
Permulcet terretque animum auditoris, & arte
Gnarus inaudita, quo libet ire, trahit.
Unde perorandi ſe tam probat eſſe peritum?
Eloquii vel opes unde paraſſe putes?
Unde, niſi aërias adiiſſet Apollinis arces,
Caſtaliiſque prius labra rigaſſet aquis?
Foecundo hinc perfuſa viri mens flumine, quae mox
Concipit, haec fundens uberiora facit.
Indidem ei adcrevit fandi aurea copia, & acer
Spiritus, enthea vis, ingeniumque ferax.

INSCRIPTIONES ET ELOGIA

D. O. M
TEMPLVM HOC IN HONOREM
VIRGINIS MARIAE ADNVNTIATAE
A BENEDICTO XIII. P. M
INNVMERIS PIACVLARIBVS INDVLGENTIIS CVMVLATVM
DIONYSIVS LATOMVS
CVM IOANNI DANNELLO DECESSORI SVO
PER SENIVM NON LICVISSET
IPSE ANNO MDCCLV. QVO PONTIFICATVM INIIT
IV. EID. OCT. SOLEMNI RITV CONSECRAVIT

D.

D. O. M

IN HONOREM B. MARIAE DEIPARAE
SODALES BARIENSES
ECCLESIAM EREXERVNT
VT VBI OLIM TVMVLARI IVS FASQVE EST
IBI OMNIA PIETATIS OFFICIA PERSOLVANT

VIRGO PARENS
AD CARTHVSIANAE FAMILIAE VITA DEFVNCTOS
OLIM TIBI DEVOTISSIMOS
ATQVE HEIC IN HYPOGEO SEPVLTOS
CONVERTE OCVLOS
EORVMQVE ORA PIACVLARIBVS
FLAMMIS AREFACTA
DIGITIS TVIS
PROBATISSIMAM MYRRHAM DISTILLANTIBVS
REFRIGERA

AEDICVLAM HANC
SVB S. MARIAE AD PRAESEPE
AVSPICIIS NVNCVPATAM
QVAM CARTHVSIANI PATRES
PROCVRATIONIS SVMMENSIS PRAEFECTI
PROPRIAM AERE SVO FACTAM
PRO MONVMENTO FAMILIAE SVAE
ESSE VOLVERVNT
P. D. MARTINVS CIANCIVS
PROCVRATOR SVMMENSIS
IVSSV P. DOMINICI AMENDOLAE
CARTHVSIAE NEAPOLITANAE S. MARTINI PRIORIS
ARA CANCELLISQVE MARMOREIS LOCVPLETAVIT
ANNO MDCCLXXX

In

In Natali Translationis DIVI IANVARII
Prid. Kal. Majas MDCCLXXXV.

I

DIVO IANVARIO
PATRONORVM MAXIMO
CVRIA CAPVANA
OBSERVANTIAE GRATIQVE ANIMI CAVSSA
ERGA BENEMERENTISSIMVM CIVEM
TRIVMPHALEM HVNC APPARATVM
PRO VICE SVA SEXENNII
INSTRVXIT

II

CIVES O CIVES
SI EODEM AC PATRES NOSTRI
ERGA DIVVM PATRONVM
ACCENDIMVR STVDIO
CVM HOC FAVSTO DIE
SACRA EIVS PIGNORA PER VRBEM
SOLEMNI POMPA TRANSVEHANTVR
NE CESSETIS INGEMINARE
IO TRIVMPHE IO TRIVMPHE

III

DIVO IANVARIO
IN CVIVS SANGVINIS LIQVESCENTIS OMINE
NEAPOLITANI CERTIVS AC OLIM QVIRITES
IN PALLADIO SVPERSTITIOSE CVSTODITO
SPES SVAS FVNDATAS HABENT
VT HODIERNAM CIVIVM EXPECTATIONEM
CVMVLATISSIME EXPLEAT
SVPPLICATIONES AC VOTA

IV

SALVE DIVE IANVARI SALVE
TVI REDIVIVI CRVORIS AVSPICIO
VELVTI DATO PIGNORE SECVRITATIS
PLEBEM EXPECTATIONE SVSPENSAM BEASTI
IAM IPSA TE PRAESTITE
EXTRA OMNEM IMPENDENTIVM MALORVM
ALEAM POSITA
CVM IVBILO EXVLTAT

V

AVDI PATER PATRIAE
RATASQVE FAXIS PRECES
QVAS CVRIA CAPVANA
SINGVLORVM CIVIVM VOTA COMPLECTENS
TIBI DIVE REPRAESENTAT
VT SALVA RES NEAPOLITANA SIET

ECCLESIAM HANC DEO OPT. MAX
IN HONOREM DIVI IOANNIS BAPT
NVNCVPATAM
HIERONYMVS LANDVLPHVS EPISC. PVTEOLAN
SOLEMNI CVM PRECATIONE AC RITV
CONSECRAVIT ANNO CIϽIϽCCLXXVIII
DIEMQVE DEDICATIONIS
QVOTANNIS IX. KAL. FEBR
RECOLENDAM PRAESCRIPSIT

HANC AEDEM SANCTISS. TRINITATI DICATAM TEMPORVM INIVRIA PROPE DELAPSAM ABBAS VBALDVS GAMBADORVS EX BARONIB. CLAVICORVM MAIORVM SVOR. MATERNORVM HVIVS SACELLI AC SACERDOTII FVNDATORVM PIETATEM AEMVLATVS STATIM AC IVS PATRONATVS SIBI DELATVM FVIT RESTITVI ORNARI SACRAQ. SVPELLECTILI INSTRVI CVRAVIT ANNO CIϽIϽCCLXIII

MAGISTRI COLLEGII NAVICVLARIORVM
VT IMAGINEM
DEIPARAE
MARI POTENTIS
IN HOC TEMPLO QVOD BERNARDINVS BELLADONNA
PROCELLOSO IN PELAGO DEPREHENSVS VOVERAT
ET AD PORTVM SALVVS APPELLENS AEDIFICARAT
DEDICATAM SVMMAQVE RELIGIONE HABITAM
IMPENSIVS EXCOLERENT
CORONA AVREA EX VRBE ROMA
ORNANDAM CVRANT
ANNO CIϽIϽCCLXX

FRONTEM HVIVS AVGVSTI TEMPLI
D E O
IN HONOREM
DEIPARAE MARIAE
NVNCVPATI
VETVSTATE SQVALIDAM ET CARIOSAM
CANONICVS PRIMICERIVS CICCARELLVS
INDVCTO TECTORIO MARMORATO
DE SVO EXPOLIVIT ANNO CIƆIƆCCXCVI

MONVMENTVM ALIBI SITVM
GVBERNATORES VETVSTISSIMI SACELLI
S. MARIAE INCORONATAE
HVC RITE TRANSLATVM AMPLIARVNT
RETENTOQVE IVRE PATRONATVS
COPIAM HONESTISSIMIS QVIBVSQVE CIVIBVS
QVATVOR HVIVS VRBIS REGIONIBVS FECERVNT
VT HIC SPOLIA MORTALITATIS
EXVERENT AC TVMVLARENTVR

FRANCISCVS SPAMPANATVS
IN HAC AEDE CONGREGATIONIS
QVAM TEMPORVM VICISSITVDINIBVS
PENE DILAPSAM DISSIPATAMQ.
IPSE LABORE INDVSTRIA SVMPTIBVS SVIS
RVRSVS IN LOCVM ORDINEMQ. PRISTINVM
RENOVATIS IMMACVLATAE
VIRGINI MARIAE
AVSPICIIS RESTITVIT
TVMVLVM SIBI POSTERISQ. SVIS
PARAVIT ANNO CIƆIƆCCLXXX

SODALITAS LXXII SACERDOTVM NEAPOLITANORVM
QVAE PRIMVM IN D. IANVARII AD NOSTRIANAM PLATEAM
SAECVLO XVI LABENTE COALVIT
CVM OB LOCI ANGVSTIAS IBI SACRA FACERE NON POSSET
HVC VBI OLIM SACELLVM DEIPARAE VIRGINI
SVB PROVIDENTIAE NOMINE DICATVM ERAT
CARDINALI PIGNATELLO ARCHIEPISCOPO AC SODALI
AEDICVLAM CEDENTE COMMIGRAVIT
IACTISQVE NOVIS FVNDAMENTIS TEMPLVM HOC
CVRANTE SODALI ANTONIO MORCALDO LATIVS EXCITATVM
ARCHANGELO MICHAELI
TVTELARI SVO DICAVIT
AC DEINDE LAXATO POSTICO PARIETE AC NOVO THOLO
FACTA SIBI AB AEDILIBVS PATRICIIS VIRIS
VIARVM CVRATORIBVS POTESTATE
AD ALTITVDINEM TANTAM SVSPENSO
IN AVGVSTIOREM FORMAM ANNO CIƆIƆCCLXVII. REDEGIT

ANDREAS NORMANNIA
GENTILITIVM SACELLVM AC SACELLI TITVLVM
DIVAE MARIAE MAGDALENAE
SACRA CINERESQVE MAIORVM
ILLINC VBI AD CAPVT HORTI DICITVR
HVC IN LOCVM DECENTIOREM
LEGITIMA VENIA IMPETRATA
TRANSTVLIT

ANDREAS NORMANNIA
GENTILIVM SVORVM CINERES
EX VETVSTO SACELLO TRANSLATOS
HVC INTVLIT

TEMPLVM HOC
ATQVE HVIC APPLICITVM PARTHENONEM
ASCETRIAE SVB AVSPICIIS S. SOPHIAE NVNCVPATAE
IACTO AVSPICALI LAPIDE ANNO CIƆIƆCCXIX
POST PLVRIMAS
QVAE OPERIS CELERITATI OBSTITERANT DIFFICVLTATES
DEO BENE IVVANTE SVPERATAS
ANNO CIƆIƆCCLXIV. DEDICARVNT

SACELLVM
IN HONOREM DIVI VINCENTII FERRERII
SALVATOR PACELLIVS EXTRVXIT
LOCVSQ. EI PRO MERITIS DATVS PAGISCITO S. SALVATORIS
REGIA INDVLGENTIA CONFIRMATO
HEREDES NE REI MEMORIA ABOLERETVR
ANNO CIƆIƆCCLXXXII. POS

FANVM
DIVO FELICI
SACRVM
QVO COLONI HOMINESQVE SILVESTRES
RVSTICATIONIS CAVSA PER ARVA PALANTES
CONVENIRENT ET MENTE DOMESTICA
SACRIS INTERESSENT AC PRECARENTVR
NICOLAVS RIARIVS SFORZA DVX
P. S. CONSTRVXIT AN. CIƆIƆCCLXX

ORNATV QVAE PORTA NOVO TIBI CAROLE SVRGIT
TENDENTI NEMORVM PERSANI IRRVMPERE SALTVS
ET MACTARE FERAS PRAELVDAT MILLE TROPEIS
QVANTA TIBI STATVENT VRBES EX HOSTE SVBACTO
ORDO POPVLVSQVE SALERNITANVS
PORTAM QVA CAROLO INVICTO AVGVSTO REGI
AD PERSANI SALAVS PROFICISCENTI ET POPVLIS
HVC AD FREQVENTISSIMAS NVNDINAS CONFLVENTIBVS
IN HANC DIGNITATEM ET AMPLITVDINEM EREXIT

HO.

HOSPES VBI HAC ITER FACIT REX CAROLVS
NIHIL EST QVOD ADMIRERE SI CONSTET MINVS
VMBRAE MIHI TENOR SCILICET VI SIDERIS
MICANTIORIS HAC ET ILLAC CVRSITO

Salerni.

HOSPES HVC ADVORTE OCVLOS
BREVE EST QVOD TE MONITVM VOLO
REX CAROLVS EIVSQ CONIVX MARIA AMALIA
CVM NEAPOLI BARIVM
VENERATVM DIVI NICOLAI CINERES CONTENDERENT
HEIC CAVSSA CVRANDI CORPORA INTERQVIERVNT
PERGE SIS AC SALVTATO GENIO HVIVS LOCI
ABI

RAPHAEL RIARIVS
PATRICIVS NEAPOLIT. SENATOR BONONIENS
EQVES HIEROSOLYM. AB ORIGINE
DVX GRIMAE MARCHIO CORLETI
DOMINVS VRBIS MONTISPELVSI
SVPERSTRVCTAEQVE AEDIS ARAE MAX
BENEFICIO XISTI IV. AC IVLII II. PONT. MAXX
NE PATRONATVM HVIVS HYPOGEI
COGNATIS RIARIIS CONCREDITVM
TRANSLATIS IAMDIV NEAPOLIM LARIBVS
AVT DESERVISSE AVT NEGLEXISSE VIDERETVR
ANNVENTE OPT. PRINCIPE CLEMENTE XIV PONT. MAX
HOC INSCRIPTO MARMORE
CEV TESSERA RECOGNITIONIS OSTENTATA
SE SVOSQ
VT IN RIARIORVM GENTILIVM SVORVM
NOMEN AC IVRA
SIC ET IN SVPRA SCRIPTVM PATRONATVM
IVISSE PROFITETVR ANNO CIↃIↃCCLXXIV

VIA ANTIQVA INVIA
PER PORCIFERAE AMNIS VADVM
OB FREQVENTISSIMAS
MERCIB. COMMEATIB. VIATORIBVSQ
A FLVMINIS INGLVVIE PERNICIES FACTAS
DAMNATA
SERENISS. DVX IO. BAPT. CAMBLASIVS IOH. MAR. F
NICOLAVS FRATER
IOH. BAPT. CAROLVS ET MICHAELANG. FRANC. CAIET. FF.
PATRVELES
VIAM ALTERAM PER CIRCVMSTANTES RIPAS
COMMODAM ROTABILEM TVTAM
AEQVATIS CLIVIS
PILIS AD FRANGENDAM AQVAR. VIM FVNDATIS
QVAMPLVRIMIS EXTRVCTIS PONTIB
COMM. PEC. FACIEND. CVRAR. ANNO CIƆIƆCCLXXVI
ITER IN LONGITVD. M. PASS. VIII
IN FRONTE PASS. X

VINCENTIVS ANNITTVS
HOC A VITAE LABORIBVS REQVIETORIVM
VIVVS SIBI ET SVIS
EXTERO HEREDE EXCLVSO PARAVIT
IPSE QVOQVE PROXIMAM HVIC MONVMENTO
AEDICVLAM DEIPARAE MARIAE SACRAM
AERE SVO POSVIT
ANNO CIƆIƆCCLXXII

HINC

HINC NEAPOLIM VERSVS AD PAGVM VSQVE S. IOANNIS AD THEODOCIVM DEMANIALEM AGRVM QVA LONGE LATEQVE PATET A VIA VETERI AD MARIS ORAS IMMVNEM A VECTIGALIBVS FRVMENTARIIS PROPRIO AERE COMPENDIOQVE IPSORVM MVNICIPVM REDEMPTIS SENATVS REG. CAM. SVMMARVM DECREVIT DIE XVI. SEPT. CIƆIƆCCLXXXIII

PATROCINANTE V. I. D. D. DOMINICO MIRRA VTILI DOMINO VILLAE MIRRAE

HINC HERCVLANEVM VERSVS AD LIMITANEVM VSQVE TORRENTEM DEMANIALEM AGRVM PETRAE ALBAE QVA LONGE LATEQVE PATET A VIA VETERI AD MARIS ORAS IMMVNEM A VECTIGALIBVS FRVMENTARIIS PROPRIO AERE COMPENDIOQVE IPSORVM MVNICIPVM REDEMTIS SENATVS REGIAE CAMERAE SVMMARVM DECREVIT DIE XVI. SEPTEMBR. CIƆIƆCCLXXXIII

PATROCINANTE V. I. D. D. DOMINICO MIRRA VTILI DOMINO VILLAE MIRRAE

ANTONINI CARDINALIS SIRISALIS
ARCHIEP. NEAPOL
PROVIDENTIA ET INCITAMENTO
HVIVS SEMINARI AEDES SENIO SQVALIDAE
EXPOLITIS FRONTE ATRIO SCHOLIS DIAETIS PORTICIBVS
CONTVBERNIO MAIORE A FVNDAMENTIS REPARATO
TVM AD VETEREM CONTVBERNIORVM NVMERVM
DVOBVS RECENS ADIECTIS
ET BIBLIOTHECA NOVIS AMPLIFICATA INCREMENTIS
IN ELEGANTIOREM FORMAM RESTITVTAE SVNT
ANNO CIƆIƆCCLX

VILLA GVIDI POPPI
QVAM VETVSTATE FATISCENTEM
FERDINANDVS GVIDI
E COMITVM POPPI IN HETRVRIA GENTE
VT PROCVL VRBANIS NEGOTIIS ET IACTATIONIBVS
SVBINDE SIBI VIVERET
RESTITVIT ET IN AMPLIOREM FORMAM REDEGIT
ANNO CIↃIↃCCLXXIX

IOSEPHVS ANTONIVS CAIETANVS
DVX LAVRENTIANAE
ARTEM TRAHENDAE TEXENDAEQVE LANAE
HIC VBI OLIM VIGEBAT MAXIME
TEMPORVM VICISSITVDINE PENE NEGLECTAM
INDVSTRIA SVMPTVQVE SVO REVOCATAM
PRISTINAE DIGNITATI RESTITVIT ATQVE AVXIT
ANNO CIↃIↃCCLXV

Prae foribus villulae Auctoris ad radices Vesuvii montis.

PAPILIONVM INSTAR CIRCA VESVVII
FLAMMAS VOLITAMVS

IACOBE IONA BIORNSTAHL
ET
CAROLE FRIDERICE DE RVDBECK
VBI RESCIERO VOS E PEREGRINATIONE ITALICA
IN PATRIAM REDIISSE INCOLVMES
FORTVNAE REDVCI
NON CAESIS VICTIMIS SED CORDE ANIMOQVE
IN VERAM LAETITIAM EFFVSO
ME LITATVRVM SPONDEO
NICOLAVS IGNARRA
VI. KAL. AVG. CIƆIƆCCLXXI

In funere Mariae Amaliae Hispaniar. Reginae.

QVISQVIS ES
NE VNVS IN COMMVNI LVCTV
ABEAS ILLACRYMABILIS
HVC ADVORTE
ET NOSTRAE OLIM INDVLGENTISSIMAE DOMINAE
MARIAE AMALIAE HISPANIARVM REGINAE
ACERBAM HEV! MORTEM LAMENTATOR

MARIA AMALIA WALBVRGA
HISPANIARVM REGINA
REGVM FILIA CONIVX ET MATER
QVAM VNO ORE PLVRIMAE CONSENTIVNT GENTES
FIDE RELIGIONE CONSTANTIA
ANIMI MAGNITVDINE LIBERALITATE
PRIMARIAM ORBIS TERRARVM FVISSE VIRAGINEM
ACERBA IMPORTVNAQVE MORTE
CONSVMPTA EST V. KAL. OCT. MDCCLX
VIXIT ANNOS XXXV. MENSES X

In

HAVE AMALIA DVLCISSIMA
SI LACRYMIS AC SVSPIRIIS IACTVRAM TVAM
LICVISSET DEPRECARI
QVIS NEAPOLITANIS TVIS
QVI VITAM IPSAM SPONTE REPENDISSENT
FLENDI AC SINGVLTIENDI FVISSET MODVS

DEVS IMMORTALIS
TE PVBLICA VOCE OBTESTAMVR
VT QVANDOQVIDEM ALIO TRANSFERRE AMALIAM
TIBI VISVM EST
AT CONIVGE VIDVVM REGEM CAROLVM
AD HVMANI GENERIS LEVAMEN
TERRIS QVAM DIVTISSIME COMMODES

QVID INGEMISCITIS HEV ADEMPTA AMALIA
SINGVLTIENDO MORTEM INEXORABILEM
FLECTENTNE VESTRAE LACRYMAE AC SVSPIRIA
CINERIQVE SPIRITVS AC REDIBIT ARIDO
QVIN AGITE NVMEN SVPPLICES EXPOSCITE
VT QVAMDIV MORTALIS IN TERRIS AGET
AEVVM NIHIL DE REGIA DOMO SVA
MORTALE CAROLVS ESSE POSTHAC SENTIAT

PRO

PRO MARIA TERESIA AVSTRIA
HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGINA
PIA FELICE AVGVSTA
DE HVMANO GENERE OPTIME MERITA
SACRA NOVENDIALIA
EX XVIII. KAL. IANVAR. AD IX. KAL.

MARIAE TERESIAE CAROLI VI. IMP. FILIAE
FRANCISCI IMP. CONIVGI IOSEPHI II. IMP. MATRI
POPVLORVM ET CASTRORVM PARENTI OPTIMAE
ANIMI MAGNITVDINE ET PACIS AC BELLI TRIVMPHIS
CVM PRIMIS COMPARANDAE AVT ETIAM ANTEFERENDAE.
CVIVS INTEMPESTIVA MORTALITAS
VELVTI QVODDAM FVLMEN
ORBEM TERRARVM CONCVSSIT EXANIMAVITQVE.
VIXIT ANN. LXIII. MENS. VI. DIES XVI
DECESSIT III. KAL. DECEMB. MDCCLXXX.

FORTISSIMA VIRAGO
NON MINVS SIBI QVAM POPVLIS IMPERAVIT
NEC MAGIS OB FVSOS HOSTIVM EXERCITVS
QVAM OB TRIVMPHATAS CVPIDINES SVAS
IN OMNE AEVVM NOBILITATA.

MAIESTATEM
ANTEA INACCESSAM NEC NISI E LONGINQVO VISAM
PRIMA FERME OMNIVM
COMINVS CONSPICIENDAM DEDIT
EAMQVE AD VOTA NECESSITATESQVE POPVLORVM
INCONPARABILI INDVLGENTIA DEMISIT

CLEMENTIA ERGA SONTES
ET IN LITTERATOS VIROS LARGITIONES
AVGVSTAM NOSTRAM SVPRA SEXVM EFFERVNT
ET CVM CAESARIBVS ET PTOLAEMEIS
NON IMMERITO COMPONVNT

PRAE POPVLORVM AMORE
NIHIL OMNINO PRAEVERTIT
ET QVANTVM EA CVRA AD REMPVB. TVTARDAM
AC BENE GERENDAM CONFERAT
EXEMPLO SVO DOCVIT POSTERITATEM

RELIGIONEM ET IVSTITIAM
AVGVSTIS FILIIS SVIS TANTO STVDIO INCVLCAVIT
PERINDE AC SOLIS ILLIS OFFICIIS
TOTA LIBERORVM INSTITVTIO CONCLVDERETVR

A DIVTVRNIS LABORIBVS
TIBI IAM RESPIRARE AC REQVIESCERE DATVM EST
NAMQVE BONO GENERIS HVMANI
SATIS ADVIGILASTI

ANIMA INNOCENTISSIMA
BONO SIS ANIMO
TIBI MENSVRA BONA CONFERTA COAGITATA
ET SVPEREFFLVENS RESERVATA EST

CAROLO TITO
PRINCIPI NEAPOLIS ET SICILIAE HEREDITARIO
FACILLIMI INGENII ATQ. OPTIMAE EXPECTATIONIS
PVERO
QVI QVANTVM IN TENELLVLA AETATE
CIVES SVOS AMARET
AB IISQ. VICISSIM AMARETVR
ILLVD EST INDICIO
QVOD QVACVMQVE INCEDERET
CIVES VISENDI SALVTANDIQ. STVDIO
ILLVC TVRMATIM CONFLVERENT
IPSE VERO MVLTITVDINIS ERGA SE STVDIA INTELLIGENS
FRONTE SVOPTE INGENIO AD HVMANITATEM EXPLICATA
SALVTANTI POPVLO HAC ILLAC MANIBVS
OSCVLA DIVIDERET
SVIQ. INGENS DESIDERIVM RELINQVERET
VIXIT ANNOS III. MENS. XI. DIES XIV.

I

PRO MARIAANNA
INFANTVLA REGIS SICILIARVM
PARENTALIA INDICVNTVR

SEMPITERNAE REQVIETI
MARIAE ANNAE
VIXIT ANNOS IV MENSES III
DECESSIT IX. KAL. MART. ANNI MDCCLXXX.
HAVE ANIMA INNOCENTISSIMA
ET PARENTIBVS TVIS
QVORVM E COMPLEXIBVS
MORBI VIRVLENTIA DIVELLIT
DIVTVRNAM INCOLVMITATEM
A DEO IMMORTALI
ADPRECATOR

II

MARIAE ANNAE
PRO THALAMO
PATER INFELICISSIMVS
TVMVLVM PARAT
HEV INVERSVM NATVRAE ORDINEM
ET MISERANDAM RERVM HVMANARVM
VERTIGINEM!

PHILIPPVS
CAROLI III. HISPAN. REG. FILIVS
PHILIPPI V. NEPOS
PRINCEPS IVVENTVTIS
QVI A NATVRA AD AVITVM VETERIS NOVIQ. ORBIS IMPERIVM CREATVS PROPE A PARTV RVBENS FORTVITO EOQ. INDOMABILI MORBO ITA VEXATVS FVIT ATQ. INTERCEPTVS VT VITAM SIBI VIVENS IN OMNIVM HVIVS SAECVLI RERVM IGNORATIONE VERSARETVR INDEQ. CONSECVTVS EST VT E TERRIS IN CAELVM RECEPTVS PEDES TERRENO PVLVERE NON SORDIDATOS IN DIVORVM CONCILIVM INTVLERIT AEVO IMMORTALI FRVITVRVS
VIXIT ANNOS XXX. MENSES III. DIES VI.
DECESSIT XIII. KAL. OCT. MDCCLXXVII.

I

LIVIAE DORIAE

LAZARI ET TERESIAE DORIAE TVRSI DVCIS FILIAE
VINCENTII CARRAFAE ROCCELLAE PRINCIPIS CONIVGI
MATRONAE OPTIMAE AC RARISSIMI EXEMPLI
QVAE GENERIS NOBILITATEM
ATQVE OPVLENTIAM DOMVS
TAMQVAM NON SVA REPVTANS
TOTAM REI SVAE RATIONEM
IN RELIGIONE HONESTATE MODESTIA
ANIMI ROBORE ET CONSTANTIA FVNDAVIT
FACILLIMO AC SVBLIMI INGENIO
AETATEM SEXVSQVE CAPTVM EXSVPERANTE
INTER AEQVALES EMINVIT
APVD MAIORES
GRATIA ATQVE ETIAM AVCTORITATE VALVIT
AB AVGVSTIS DOMINIS NOSTRIS CONSECVTA EST
SINGVLARIA BENEVOLENTIAE TESTIMONIA
CVM VIRO QVICVM DVODECIM ANNOS
SINE VLLA QVERELA FECIT
MVTVIS OBSERVANTIAE OFFICIIS CERTAVIT
VIGILANTISSIME LIBEROS EDVCAVIT
ATQVE AD RECTAM DOMESTICAE FAMILIAE
INSTITVTIONEM
OMNE STVDIVM CONTVLIT
COMITATE ATQVE HVMANITATE
OMNES SIBI POPVLI ORDINES DEMERVIT
NEQVE SOLVM IN PATRIA
SED IN PLERISQVE ITALIAE REGIONIBVS
IMPRESSA SVAE LIBERALITATIS VESTIGIA RELIQVIT
ATQVE HAEC TALIS AC TANTA VIRAGO
QVAMVIS IN OMNIVM OCVLIS GERERETVR
ADEO TAMEN DEMISSE DE SE SENSIT
VT NON RARO FAMVLARIA ETIAM OPERA OBIERIT

QVAS VIRTVTVM EXERCITATIONES PROPE VITAE FINEM
QVASI SI PRAESCISSET
SE LONGIVS CVRRICVLVM INSTANTE FATO
IRE COMPENDIFACTVM
GEMINATA SEDVLITATE CVMVLAVIT
HINC ANNOS NATA XXXIII. M. VI. D. XVII
INNOCENTISSIMVM SPIRITVM
SINE VLLA CONSCIENTIAE SOLLICITVDINE
SVPREMO RERVM CONDITORI
REPRAESENTAVIT ANNO CIƆIƆCCLXXVIII

II

INTVEMINI SI PAR IACTVRA
CVIQVAM OLIM MISERO POSSIT CONTINGERE
DECANTATAM ILLAM MVLIEREM FORTEM
TELLVRIS ET OCEANI DIVITIIS ANTEPONENDAM
QVAE FERME ALIIS IRREPERTA
MIHI FVERAT CAELI BENIGNITATE CONCESSA
INIVRIOSA HEI MIHI NEMESIS INVIDIT !

III

AH QVOTIES IN TVI ADMIRATIONEM
ME TOTVM RAPI SENSERIM
CVM MIHI IN MENTEM REDIERIS
ITA SVSPENSO GRADV
HVIVS SAECVLI LVBRICVM PRAETERVECTA
VT HINC ABIENS NON EXTVLERIS PEDES
HVMANO PVLVERE SORDIDATOS

IV

CAELOS TVAE PIETATI AC VIRTVTI DEBITOS
INGREDERE CONIVX PEDE FAVSTO
ET SALVTATO DIVORVM CONCILIO
OCCVRRENTES TIBI INFANTVLAS NOSTRAS
SYLVIAM IOHANNAM ET ALOYSIAM
AH INFANTVLAS PRAEMATVRE FELICES
TVO MEOQVE NOMINE OSCVLATOR

I

STEPHANO MARINO
MAGNATI HISPANIARVM PATRICIO NEAPOLITANO
STRIANENSIVM PRINCIPI GENZANENSIVM MARCHIONI
RELIGIONE PROBITATE ANIMI PRAESTANTIA
AC AEQVITATE
VIRO SPECTATISSIMO ET RARISSIMI EXEMPLI
QVI CONSTANTIAM INVICTAM
IN DOMESTICIS CALAMITATIBVS EXERCVIT
IN REBVS ARDVIS CONSILII CELERITATEM
IN EGENIS VIDVISQVE SVBLEVANDIS
SINGVLAREM EXPLICVIT LIBERALITATEM
IN EXPEDIENDIS PATRIAE AMICORVMQVE NEGOTIIS
TANTA FVIT DEXTERITATE AC SEDVLITATE
VT EXTRA SE RAPI VIDERETVR
FORTVNAE TAMEN VTRIVSQVE EVENTVS
ADEO IMPERTVRBATO ANIMO TVLIT
VT PROPE NIHIL SVA INTERESSE QVAE ACCIDERENT
PRAESEFERRET
SOLIVS DEI CONTEMPLATOR ET CVLTOR EXIMIVS
CVIVS CAVSA OMNIA SE VOLVISSE SIGNIFICAVIT
HVIC TANTO HEROI E VIVIS SVBLATO
PAVLA CAIETANA
SIBI RELICTA CONIVGI INCOMPARABILI

II

II

STEPHANVS MARINVS PRINCEPS STRIANENSIVM
EXACTA EGREGIE SANCTEQVE VITA
IN AEDEM MAIORVM SVORVM
A QVORVM PROBITATE NON DEGENERAVIT
IAM INFERTVR
ADESTE ET PACEM ABEVNTI EXPOSCITE

III

STEPHANO MARINO
QVEM GRAVISSIMO VNIVERSAE CIVITATIS TESTIMONIO
VIRVM PROBVM ET CONSTANTEM FVISSE
TRALATICIVM EST
MORTALITATE INTERCEPTO
BONORVM OMNIVM LACRYMAE AC SVSPIRIA

IV

STEPHANO MARINO
STRIANENSES ET GENZANENSES
QVOD FRVMENTVM EX EIVS PRIVATIS RATIONIBVS
IN SVMMA ANNONAE DIFFICVLTATE
ABVNDE SIBI FVERIT SVPPEDITATVM
DOMINO AC PATRONO SVO INDVLGENTISSIMO

V

MEMORIAE AETERNITATI
STEPHANI MARINI
QVI IMMORTALITATEM SIBI ADEPTVS
NOBIS AETERNVM SVI DESIDERIVM
RELIQVIT

VI

MORVM FACILITATI
STEPHANI MARINI
QVI NEMINEM VIVVS
OMNES MORTE SVA
CONTRISTAVIT

VII

SATIS DIV VIXIT
QVI VIRTVTIS PERFECTAE
PERFECTO FVNCTVS EST
MVNERE

VIII

PARVM VIXIT
QVAMVIS DIV VIXERIT
QVI PATRIAE TEMPORIBVS
TOTVM SE DIV COMMODAVIT

IX

QVI TOTAM VIM BENE VIVENDI
IN RERVM HVMANARVM CONTEMPTV POSVIT
IS OMNINO VIVERE
EXPEDIRE NEMINI PVTAVIT

MEMORIAE SEMPITERNAE
IVLIANI COLVMNAE
FERDINANDI STILIANI PRINCIPIS
ET ALOYSIAE CARACCIOLAE
E SANCTI BONI PRINCIPIB. FILII
QVI AVITIS PATERNISQVE VIRTVTIBVS SIMILLIMVS POST
NON PAVCA DISCIPLINAE AC PATIENTIAE MILITARIS
EXPERIMENTA PERQVE INTERVALLA MVNERVM AD TRI-
BVNATVM EVECTVS DVM CVM LEGIONE LVCANIAE SIBI
CONCREDITA HIC STATIONARIA MILITARET FATO CON-
CESSIT III. ID. AVGVSTI ANNI CIƆIƆCCLXV. VIX VITAE
ANNIS XXXIII. DIEBVS IV. EXACTIS
HVIC GERMANO FRATRI AMATISSIMO
AC DESIDERATISIMO
M. ANTONIVS SICILIAE PROREX
QVOD OFFICIVM MORIENTI PRAESTARE PER ABSENTIAM
NON POTVIT SEPVLTO PRAESENS QVOD POTVIT AD QVA-
LECVMQVE MOERORIS SOLATIVM PERSOLVIT
ANNO CIƆIƆCCLXXIV

DO-

DOMINICO BALTHASARIS F. CATANEO

SANNICANDRENSIVM PRINCIPI PATRICIO NEAPOLITA-
NO AC GENVENSI PORTICVS VETERIS MAGNATI HISPA-
NIARVM PRIMAE CLASSIS INTER EQVITES VELLERIS AV-
REI AC DIVI IANVARII ADLECTO

QVI POST GESTA LVCVLENTISSIMA MVNERA PVBLICA
A REGE CAROLO EI DELATA PRAETVRAM VRBANAM HI-
SPANIENSEM LEGATIONEM DOMVS AVGVSTAE PRAEFE-
CTVRAM TVTELAM REGIS FERDINANDI IV. ATQVE IN
EIVS PVPILLARI AETATE XVIRALEM REGNORVM PROCV-
RATIONEM

SPONTE SVA AVLAE MINISTERIIS NON MINORE ALA-
CRITATE ABDICATIS QVAM OLIM INITIS ATQVE OPV-
LENTISSIMA RE FAMILIARI AD FILIVM TRANSMISSA PRI-
VATVS SECESSIT IN PRAEDIVM SVVM SVBVRBANVM AD
LEVCOPETRAM

VBI SIBI VIVENS ET RELIGIONIS PROLIXAEQVE IN
PAVPERES QVIBVS SEX MILLIA CENTVSSIVM QVOTANNIS
EROGAVERAT LIBERALITATIS OPERIBVS IMPENSIVS AC
LARGIVS QVAM ANTEA VACANS XII. ANNOS TRANQVIL-
LITATE MAXIMA TRADVXIT IBIQVE ANNOS NATVS LXXXV
MENS XI DIES XII NATVRAE DEBITVM PERSOLVIT IV
NON DECEMB. ANN. CIↃIↃCCLXXXII

MOX INDE TRANSLATVS IN VRBEM HÉIC IN GENTILI-
TIO SACELLO VT IVSSERAT A FRANCISCO FILIO ET HE-
REDE CONDITVS EST

HAVE INDVLGENTISSIME PATER MIHIQVE TVAE VT
EMENDATISSIMAE VITAE VESTIGIA PREMAM ADSPIRA

ALEXIO SYMMACHO MAZOCHIO
ECCLESIAE NEAPOL. CANONICO
REGIO S. SCRIPTVRAE INTERPRETI
QVI PHILOLOGORVM SVI AEVI PRINCIPIS OPINIONEM
IN QVAM VEL APVD EXTERAS NATIONES
QVAMPLVRIMIS SCRIPTIS VOLVMINIBVS
MVLTIPLICI ERVDITIONE PRAESTANTIBVS
MERITO FVERAT ADDVCTVS
INTEGERRIMAE VITAE
ET EXIMIAE PIETATIS LAVDE CVMVLAVIT
VIXIT ANNOS LXXXVI. MENS. X. DIES XXII.
OBIIT PRIDIE ID. SEPT. ANN. CIↃIↃCCLXXI
OPTIMO PATRVO DE SE OPTIME MERITO

PHILIPPVS M. C. V. IVDEX P
CANONICI LOCVM COLLEGAE B. M. DEDERVNT

MEMORIAE SEMPITERNAE

PASCHALIS CARCANI
POLITICIS AC PHILOLOGICIS STVDIIS
CVM PRIMIS COMPARANDI
VIXIT ANNOS LXII. MENS. VII.
FATO CESSIT IV. ID. NOVEMB. ANN. CIↃIↃCCLXXXIII

HIC TVVS HIC EST PAVSILYPVS NAMQVE ASPERA
PASSO
IAM TIBI AB HERCVLEO PARTA LABORE QVIES

IOSEPHO DE ROSA
CONSILIARIO AC FISCI PATRONO
PATRVO MAGNO BENEMERENTISSIMO
A QVO GENTILITIVM SACELLVM
IN MARCHIONES VILLAEROSAE TRANSMISSVM FVIT
CAROLO ANTONIO MARCHIONI VILLAEROSAE
S. R. CONSILII PROPRAESIDI CANCELLARIAM REGENTI
AVO IVRISCONSVLTISSIMO
CAIETANO AC DOMINICO
PATRVIS SVIS CONSILIARIIS INTEGERRIMIS
PROSPERO MARCHIONI VILLAEROSAE
VEHICVLARIS CVRSVS PRAEFECTO
ET VICTORIAE
E VALIGNANA PATRICIA GENTE THEATINA
PARENTIBVS OPTIMIS
ALOYSIO MARCHIONI VILLAEROSAE
VIRO FRVGI FRATRI CARISSIMO
N I C O L A V S
EPISCOPVS PVTEOLANVS REGIAE CAPELLAE ANTISTES
TRIBVNALIS MIXTI PRAESES
NE PIGNORA MAIORVM SVORVM
PER QVOS QVAESITA DOMVI SENATORIA DIGNITAS
DIVERSIS DISTRACTA LOCVLIS REQVIRENDA FORENT
HVC VNA ILLATIS COMMVNE MONVMENTVM POSVIT
ANNO CIↃIↃCCLXVIII

FRANCISCO SERAO
IN ACAD. NEAP. MEDICINAE PROFESSORI PRIMARIO
REGIS NOSTRI REGNIQ. ARCHIATRO
PHILOSOPHO AC PHILOLOGO DISERTISSIMO
VIRO PROBO SEDVLO OBSEQVENTI
AMICITIAE CVLTORI DILIGENTISSIMO
HIERONYMVS VASSALLVS
ORDINIS POPVLIQVE NEAP. A SECRETIS P
ET NE AB AGNELLO PATRVO SVO DISSOCIARETVR
HEIC IN EODEM HYPOGEO CONDI VOLVIT
VIXIT ANNIS LXXX. MENS. X. DIES XV
DECESSIT NONIS AVG. CIↃIↃCCLXXXIII
QVIESCITE PAR NOBILE AMICORVM
ET SI QVID VOBIS DE AMICITIAE OFFICIIS
DISSERENDVM SVPERFLVIT
HEIC INTVS CONFABVLAMINI

FRANCISCO SERAO PHILOLOGO AC PHILOSOPHO CVM PRIMIS COMPARANDO AVGVSTI REGIS NOSTRI REGNIQVE ARCHIATRO IN REGIA ACADEMIA PRIMARIO MEDICINAE PROFESSORI ELOQVENTISSIMO VIIIVIRI COLLEGII
PHARMACOPEORVM
OB SVSCEPTVM DE SE PATROCINIVM
COLLATAQVE IN SODALITIVM BENEFICIA
LIBENTES MERITO PP. ANN. CIↃIↃCCLXXIX.

IOANNI THOMAE VESPOLO
HIERONYMI REGIAE CAMERAE PRAESIDIS F
CANONICO NEAPOL. EPISCOPO EPIPHANIAE
IN FORO ARCHIEPISCOPALI FISCI PATRONO
IN FORO MIXTO INTER QVINQVEVIROS ADLECTO
QVI DIFFICILI CONTRACTO MORBO
NVCERIAM CONCEDENS
NON MAGIS EXPERIVNDI CAELI CAVSSA SALVBRIORIS
QVAM NE GERMANOS FRATRES SVI AMANTISSIMOS
MORTE SVA PROPIVS CONTRISTARET
HIC ANNOS NATVS XLVIII DIES X
FATO CESSIT NONIS MAIIS ANN. CIƆIƆCCLXVII
IOSEPHVS ET NICOLAVS
TANTO HEV DOLORI SVPERSTITES
DVLCISSIMO FRATRI POS

MATTHAEVS IANVARIVS TESTA PICCOLOMINAEVS DIVINI HVMANIQ. IVRIS CALLENTISSIMVS INTEGERRIMAE VITAE MVNIIS APOSTOLICIS EXERCITAE CAVSSA EX ARCHIEPISCOPATV RHEGINO QVO SE SPONTE ABDICARAT RENVNCIATVS ARCHIEPISCOPVS CARTHAGINIENSIS ET MOX CAPELLANVS MAIOR REGIS SICILIARVM TANTA VI INGENII CONSILIIQ. MATVRITATE AC CELERITATE INCLARVIT VT PROPE MIRACVLVM FVERIT QVI VNVS AFFECTAE SEMPER A PRIMA AETATE VALETVDINIS TOT TANTISQ. ADEOQ. MVLTIPLICIBVS NEGOTIIS EXPEDIENDIS SVFFECERIT VIXIT ANN. LXXIII. MENS. VI. DIES XVI. OBIIT POSTRID. NON. APRIL. ANNO CIƆIƆCCLXXXII

MEMORIAE SEMPITERNAE
DONATI AVELLI
EX XVVIRIS A REGII PATRIMONII RATIONIBVS
QVI QVANTVM INGENIO CONSILIO
AC DEXTERITATE VALERET
GRAVIORA AERARII NEGOTIA
QVAE EXERCITATISSIMVM QVEMQVE DETERRVISSENT
STRENVE PER EVM EXPEDITA
ET FELICISSIME CONFECTA TESTANTVR
NICOLAVS
INTER EOSDEM XVVIROS ADLECTVS
FISCI PATRONVS
ET VIRTVTIS CAVSSA HONORE TOGAE DECORATVS
PATRI OPTIMO AC BENEMERENTISS.
P. C
VIXIT ANNOS LXXII
DECESSIT IV. NON. DECEMB. ANN. CIↃIↃCCLVI

HEIC IACET
DOMINICVS CESTARI
SCAPVLENSIVM TOPARCHA
VIR EGREGIE MORATVS AC DOCTVS
HVMANITATIS ET AMICITIAE SIC DILIGENS
VT PAENE SVI SVARVMQVE RERVM OBLITVS
OMNEM OPERAM AC STVDIVM
IN AMICORVM VTILITATEM
LIBENTISSIME CONTVLERIT
NATVS XIV. KAL. OCTOB. ANNO CIↃIↃCCXIII
ESSE DESIIT VII. KAL. APR. CIↃIↃCCLXXXIV
PATRI INDVLGENTISSIMO
FRANCISCVS HERES CVM MOERORE P

AGNELLVS BROYA
EPISCOPVS TEANENSIS
NEAPOLI NATVS VI. ID. APR. CIↃIↃCCXII
AD CATHEDRAM TEANENSEM XV. KAL. DEC. CIↃIↃCCLV
EVECTVS
AD COMMISSI SIBI GREGIS COMMODA TOTVS INCVBVIT
VETVSTAE ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE
RIGIDVS SED NON IMPERIOSVS EXACTOR
SEMINARIVM CLERICORVM PENE DILAPSVM
OPTIMIS INVECTIS SCIENTIIS
RESTITVIT FIRMAVITQVE
IN EGENOS VIDVASQVE LIBERALISSIMVS
BONARVM LITTERARVM AMICITIAEQ. CVLTOR EXIMIVS
CONSTANS ADEOQVE FACILIS AC MANSVETVS
VT TOTO SVI PONTIFICATVS TEMPORE
SINE VLLA QVERELA VLLIVS PRAEFVERIT
NISI QVOD IN MORTE SVA
PATIENTISSIME VI. KAL. NOV. CIↃIↃCCLXVII. OBITA
PLEBEM SVAM VNIVERSAM AMICOSQ. CONTRISTAVIT
HVIC IMMATVRE E VIVIS EREPTO
R O S A
E BARONIBVS S. SEVERINI PROPE CAMEROTAM
FRATRI SVO DVLCISSIMO POSVIT

P. F.

P. F. IOAN. NICOLAO CHIESA
QVATER VICE GENERALICIA
HVIVS CONGREG. S. IOAN. AD CARBONARIAM
PRAEFECTO AC TOTIVS ORDINIS A SECRETIS
QVO POSTREMO MVNERE IS VLTRO SE ABDICAVIT VT TOTVS VIVERET SIBI IISQVE QVI SE HVIVS DISCIPLINAE AD EMENDATIVS VITAE REGIMEN TRADIDERANT QVIBVS ETIAM PLVRIMA AC SALVBERRIMA MONITA ELVCVBRAVIT INNOCENTI VITA REGVLARI OBSERVANTIA HVMANITATE PRVDENTIA CONSILIO ET APOSTOLICIS LABORIBVS SEDVLO IN CHRISTI VINEA ADLABORAVIT AD EXTREMAM VSQVE SENECTVTEM NAMQVE NATVS GENVAE XII. KAL. MAIAS ANNO CIƆIƆCCLXCV. NEAPOLI IN PACE DECESSIT XIV. KAL. MAIAS ANNO CIƆIƆCCLXXXII

HIERONYMO VAXALLO
CIVITATIS NEAPOLITANAE A SECRETIS
HONESTATE DEXTERITATE REBVS AGENDIS
AMICITIAEQVE OFFICIIS COMMENDATISSIMO
F R A N C I S C V S
PATRI INDVLGENTISSIMO
CVIVS IACTVRAM MORTE SVA
REDIMERE MALVISSET
MOERENTISSIMVS P
VIXIT ANN. DECESSIT

SECVRITATI AETERNAE
ANTONII MANERBAE EPISCOPI
QVI IDIB. DEC. ANN. CIↃIↃLXXXVII. CORATI NATVS
POSTQVAM SVAM IN AGENDIS CAVSIS
SEDVLITATEM
DIV NEAPOLI AC ROMAE PROBASSET
PLVRIBVSQ. IN ECCLESIIS CAPVAEQ. PRAESERTIM
APOSTOLICA AVCTORITATE VICARIVM
SVMMA CVM FIDE
AC INTEGRITATE SE GESSISSET
VIII. KAL. IVN. ANNO CIↃIↃCCXXXV
AB CLEMENTE XII. PONTIF. MAX
AD CATHEDRAM S. ANGELI AC BISACII EVECTVS
SEMINARIO A FVNDAMENTIS ERECTO
DIOECESI CONSILIO PRVDENTIA
EXEMPLOQ. SVO RITE INFORMATA
PLVRIMISQ. A SE DATIS INNOCENTIAE
LIBERALITATISQ. ARGVMENTIS
OBIIT PRID. KAL. SEPT. ANN. CIↃIↃCCLXVI

VT IMAGO VIRI AMICISSIMI MERITISSIMIQVE
VBIQVE TERRARVM SIBI PRAESENS OCCVRRERET
ALIISQVE AD VIRTVTIS INCITAMENTVM PROSTARET
FR. IACOBVS SERRANVS COLLEGA HISPANVS
AERE INCIDI CVRAVIT
CIↃIↃCCLXXIV

FRANCISCO CARACCIOLO EPISCOPO
EX VICECOMMISS. GENERAL. MINOR. OBSERVANTIVM
AD PONTIFICATVM SVESSANVM ASSVMPTO
VIRO PIETATE RELIGIONE ABSTINENTIA
CVM PRISCIS ECCLESIAE PATRIBVS COMPARANDO
QVI SARTA TECTA A SE CATHEDRALI AEDE
AC SACRA SVPELLECTILI AVREA ARGENTEA SERICA
AERE MARMORE REDITIBVSQVE LOCVPLETATA
SEMINARIO PENE A FVNDAMENTIS ERECTO
PLVRIMISQVE ALIIS INGENTIBVS OPERIBVS
AD CVLTVS DIVINI DIGNITATEM
PLEBISQVE SVAE COMMODA PRAESERTIM RVSTICAE
QVAM SEDVLITATE MAXIMA EXCOLVERAT
INSIGNI IMPENSA EXCITATIS
VITAM CVM MORTE III. ID. AVG. CIϽIϽCCLVII
COMMVTANS
PERPETVVM SVI DESIDERIVM ECCLESIAE SVESSANAE
QVAM SCRIPSIT HEREDEM EX ASSE RELIQVIT
VIXIT ANN. LXXXIII. SEDIT ANN. XXIX

HEIC IN PACE CHRISTI REQVIESCITE
CARTHVSIANI PATRES
ET NOVISSIMAM TVBAM
VITAE ALTERIVS PRAENVNTIAM
PRAESTOLAMINI

MEMORIAE ET QVIETI SEMPITERNAE
THEODORI PASCHALIS BASTAE
EX MONTISPARANENSIVM MARCHIONIBVS
SANCTAE MELPHITANAE ECCLESIAE EPISCOPI
QVI OMNIVM ORDINVM POSTVLATIONIBVS
AD HANC CATHEDRAM
PRAETER OPINIONEM SVAM EVECTVS
PRIMITIVAE ECCLESIAE PRAESVLES AEMVLATVS
EGENIS VIDVISQ. QVOTIDIANO DEMENSO ASSIGNATO
CVLTV REDDITO AEDIBVS SACRIS SEMINARIO EXCITATO
CLERICIS VERBO ET EXEMPLO SVO INFORMATIS
VOTA VNIVERSORVM AEQVAVIT
TANDEM AD AETERNAM APOSTOLATVS GLORIAM
EVOCATVS
OMNIBVS AETERNVM SVI DESIDERIVM RELIQVIT
PATRVO OPTIMO AC SANCTISSIMO
MARIA XAVERIA ET VINCENTIA BASTA PP
VIXIT ANN. LV. MENS. VIII. SEDIT ANN. XVIII. MENS..

THOMAE TRABVCCO
VIRO CL. ET EXIMIAE PROBITATIS
QVOD PRO HVIVS SACELLI IN HONOREM VIRGINIS DICATI
PATRONATV CVM IVRE SEPVLTVRAE
SIBI SVISQVE QVAESITO
AD HANC ECCLESIAM ORNANDAM ET AMPLIFICANDAM
PLVRIMVM AERIS CONTVLERIT
CLERICI REGVLAR. GRATI ANIMI TESTIMONIO PP
ANNO CIↃIↃCCLV

FR. MAG. SALVATORIS PAGNANI
ORDINIS CARMELITARVM
MEMORIA SIT IN BENEDICTIONE

HIC MORES SVOS AD CHRISTIANAE PERFECTIONIS NORMAM EXEGIT AC DE SEVERIORE MONASTICA DISCIPLINA QVAM PER LXVII. ANNOS RIGIDE COLVIT NIHIL AD ANNVM AETATIS SVAE LXXXV. REMISIT SENIO AC LABORIBVS APOSTOLICIS FRACTVS INTER SVOS DECESSIT V. IDVS IAN. ANNO CIƆIƆCCLXXI. AT PAVLLO POST PONTIF. MAXIMO AC REGE INDVLGENTIBVS ET IN HVIVS REGII MONIALIVM COENOBII QVO CONSILIO OPERAQ. SVA A FVNDAMENTIS ERECTVM OPTIMISQ. INSTITVTIS FIRMATVM FVERAT CONDITORIO COMPOSITVS IN PACE ET CHRISTO REQVIESCIT

SEPVLCRETVM EXTRVCTIS PILIS ET CONCAMERATIONIBVS IAMPRIDEM INCHOATVM HVIVS BASILICAE ABBAS ET CAPITVLVM DE SVO PERFECERVNT ET PONTIFICALI BENEDICTIONIONE SOLEMNITER DEDICARI CVRARVNT KAL. NOV. ANN. CIƆIƆCCLXXX

ITEM PIVM MONTEM CERTIS FVNDIS IMPETRATA REGIS D. N. VENIA AD HOC LOCVPLETATVM VT DENATIS EIDEM MONTI ADSCRIPTIS GRATVITO FVNERA PARARENTVR ET VT PRO EORVMDEM AETERNALI REQVIETE NECNON VIVORVM SODALIVM SOSPITATE INCRVENTA CHRISTIANAE RELIGIONIS VICTIMA IN HAC ECCLESIA MACTARETVR IIDEM CANONICI STVDIO MAXIME OPERAQ. FRANCISCI PLANESII COLLEGAE SVI CONSTITVERVNT

PRO

PRO GASPARO DE PETRO
PIORVM OPERARIORVM SACERDOTE
SODALES CONGREG. S. MARIAE PVRITATIS
IVSTA INDICTO FVNERE PERSOLVVNT
INGREDERE O QVISQVIS ES MANIBVS INNOCENTISS.
PACEM SEMPITERNAM ADPRECATVRVS.

GASPARO DE PETRO
PIORVM OPERARIORVM SACERDOTI
VITAE INNOCENTIA CETERISQVE ANIMI DOTIBVS
VIRO COMMENDATISSIMO
HVIC OMNIVM BONORVM LVCTV SVBLATO
SODALITAS S. MARIAE PVRITATIS
CVI IPSE STRENVISSIME PRAEFVIT
OB IVVENTVTEM PIETATIS OFFICIIS AB SE INFORMATAM
ET AD SANCTIORIS VITAE STVDIVM EXCITATAM
IN GRATI ANIMI TESTIMONIVM P.

MEMORIAE SEMPITERNAE
ELISABETHAE COCIAE
FEMINAE RARISSIMI EXEMPLI
QVAE MATVRITATE IVDICII PERSPICACIA DEXTERITATE SVPRA SEXVM MVLIEBREM ASSVRGENS ADEO EGREGIE SE SE COMMENDAVIT TVM CVM CONNVBIALI FOEDERE VIXIT CVM ONVPHRIO MASTELLONIO E MARCHIONIBVS CAPOGRASSENSIVM TVM CVM VIDVAM VIRO SED EXERCITAM VIRTVTIBVS AC PRAESERTIM HVMANITATE RELIGIONE IN AERVMNOSOS COMMISERATIONE AC LIBERALITATE VITAM DVXIT VT DIFFICILLIMAM SVI IMITATIONEM POSTERIS RELIQVERIT
NATA POSTRID. NON. OCTOB. ANNO CIϽIϽCCVIII
ESSE DESIIT PRID. KAL. OCTOB. ANNO CIϽIϽCCLXXII.

ME-

MEMORIAE AETERNAE
PHILIPPI PACIFICI
PRESBYTERI NEAPOLITANI
QVI PRIMA AETATE CASTE ET INNOCENTER ACTA
VT SACRIS INITIATVS FVIT
IN EXCOLENDA DOMINI VINEA SEDVLO ADLABORANS
AETERNAM SIBI REQVIEM ANN. AETAT. SVAE XXXVII
COMPARAVIT
HVIC IMMATVRA MORTE INTERCEPTO
I A N V A R I V S
FILIO AMANTISSIMO POSVIT

VIVACI MEMORIAE
MARIAE LAVRAE DE MARI
LECTISSIMAE MATRONAE
QVAE SVMMO BONORVM OMNIVM
MOERORE DECEDENS
AETERNVM SVI DESIDERIVM RELIQVIT
EIDEM OPINIONE CITIVS EXTINCTAE
IOSEPH ANTON.CAIETANVS AQVILAE ARAGONIAE
DVX LAVRENTIANAE
QVEM ATROCIVS TANTA IACTVRA PERCVLIT
CONIVGI INCOMPARABILI
DE SE DEQVE DOMO SVA OPTIME MERITAE
PRAETER VOTVM P

CAROLINAE AEMILIAE OLIMPYAE SAVALECAE
VIRAGINI PLANE INCOMPARABILI
FORMAE ELEGANTIA OMNIVM OPINIONE
PRAETERQVAM SVA PVLCHERRIMAE
SED ANIMI DOTIBVS LONGE PVLCRIORI
CONSILII MATVRITATE FACILLIMO INGENIO HVMANITATE
PIETATE RELIGIONE
SINGVLARI IN PATREM REVERENTIA
TANTOQVE ERGA VIRVM OBSEQVIO
VT CVM EO MVTVIS ORSERVANTIAE OEFICIIS
ANCIPITI SEMPER CERTAMINE CONTENDERIT
HVIC IN IPSO AETATIS FLORE INTERCEPTAE
PATER VIX TANTAE IACTVRAE SVPERSTES
M. ANTONIVS CAROLVS DVPLEIS
CONIVX SIBI RELICTVS
HOC EST AD PERPETVAM SOLITVDINEM
ATQVE AEGRITVDINEM RESERVATVS PP
VIX. ANN. XXXI. D. II. DECESS. VII. KAL. IAN. ANN. CIϽIϽCCLXXIX.

PHILIPPVS SCVTARVS
E PAROECIA PAGI PONTICELLI AD HANC PAGI SVBVRBANI S. IOANNIS AD TEDVCIVM POSTVLANTIBVS COMPAGANIS SVIS ANNO CIϽIϽCCXLVII. TRANSLATVS PLEBI EXCOLENDAE VERBO ET EXEMPLO TOTVS INCVBVIT ET NVLLIS VNQVAM NE DEVEXA QVIDEM AETATE PEPERCIT LABORIBVS HVIVS ETIAM EXHORTATIONIBVS FACTVM EST VT HOC TEMPLVM QVANTA NVNC EST ELEGANTIA NITESCERET VIXIT ANNOS LXXXVIII. MENS. V. D. XVI IN PACE CHRISTI REQVIEVIT PRID. NON. MAIAS ANN. CIϽIϽCCLXXIX.
NICOLAVS ET MICHAEL IGNARRA
AVVNCVLO DE SE OPTIME MERITO PP.

ERAN.

FRANCISCVS PHLIASIVS PATRIA VENETVS
FOVEAM IN APVLIA AB AETATE PRIMA CONCEDENS
TANTAS INGENII SVI VIRES EXPLICAVIT NIHIL VT PLA-
NE FVERIT QVO NON SAGACITATE SVA PERVASERIT IN
PVBLICIS CALAMITATIBVS HVMANITATEM IN ARDVIS
NEGOTIIS CONSILII DEXTERITATEM IN AMICORVM DIF-
FICVLTATIBVS LIBERALITATEM PRAE SE FERENS IN SE
OMNIVM OCVLOS AC STVDIA CONTRAXIT AC TANDEM
AETATIS ANNVM AGENS LXXIV. FATO CEDENS AETERNVM
SVI DESIDERIVM RELIQVIT
N. N. PATRI SVO AMANTISSIMO POSVIT

HIC IN PACE ET CHRISTO REQVIESCIT
CHRISTINA SANCTORIA
PIETATE MORVM SANCTITATE PRVDENTIA
SPECTATISSIMA
QVAE IN OMNI VITAE GENERE
EO SEMPER OBTVTVM COLLINEAVIT
VT NONNISI EVANGELICAE PERFECTIONIS SCOPVM
ATTINGERE SE VELLE SIGNIFICARET
HVIC INGENTI DESIDERIO SVBLATAE
IO. BAPTISTA
FISCI PATRON. M. C. VICAR.
ET HIERONYMVS STARACII
MATRI SANCTISSIMAE PP
DECESSIT VII. ID. NOV. CIↃIↃCCLXXIII

XAVERIO SARNO
ADOLESCENTI EGREGIO ET OPTIME MORATO
QVI PRAECOCI INGENIO
GRAVIQVE SVPRA AETATEM IVDICIO
NON VVLGAREM IN FORO NEAPOLITANO LAVDEM
ET HIC IN PATRIA SVA DECVRIONATVS
HONOREM CONSECVTVS
INCREDIBILEM DE SE CONCITARAT EXPECTATIONEM
SED ANNORVM DIERVM NATVS
ACERBO HEV FATO INTERCEPTVS OBIIT
FILIO DVLCISSIMO
N. N. PATER INFELICISSIMVS
CONTRA VOTVM POSVIT

MEMORIAE AETERNAE
CAECILIAE RICCARDAE
LECTISSIMAE PVELLAE
HEV QVANTVM MORTI LICET IN INSONTES ANIMAS
VIRGO FORMA PRAETER CETERAS EGREGIA
MORIBVS SI QVA EST ALIA INNOCENTISSIMIS
CITIVS FATO CONCESSIT
QVAM PER AETATEM PRAESENSERIT
A G N E L L V S
TANTO DOLORI SVPERSTES
GERMANAE SVAE MAERENS POSVIT
IN PACE SEMPITERNA SOROR DVLCISSIMA
QVIESCAS
VIX. ANN. XVI. OBIIT ANNO CIϽIϽCCLV

MEMORIAE SEMPITERNAE
VENERABILIS VRSVLAE BENINCASAE
CONGREGATIONIS TEATINAE ET EREMI HVIVS
FVNDATRICIS
OBIIT XIII. KAL. NOV. ANN. CIↃIↃCXVIII
SINGVLARIBVS EIVS VITAE GESTIS
PONTIFICIS MAX. MANDATO
EXPENSIS ET IN ACTA PVBLICA RELATIS
DEINDE V. KAL. IVN. ANN. CIↃIↃCCLIII
CADAVER RECOGNITVM ET INTEGRVM REPERTVM
HIC VBI IAMPRIDEM IACVERAT RITE REPOSITVM FVIT
MONIALES VTRIVSQVE COENOBII
PARENTI AC PATRONAE
PP

DIVO ELIGIO
TABVLAM PELLEGRI PIOLAE MANV PICTAM
QVAM CVM SVI QVISQVE IVRIS ESSE OBSTREPERET
QVANTI FACIENDAM SIMVL CLAMITABANT
HANC DIREMPTA PRO CORPORE SVO CONTROVERSIA
NOVISQ. PRO DIGNITATE ADDITIS
EX MARMORE ORNAMENTIS
AVRARII ET ARGENTARII
PATRONO PRAESENTISSIMO PP

QVANDOQVIDEM DIRO FATO
LILLE DOMINI OCELLVS DELICIAEQVE
TVAM RAPERE NEQVITER LVBVIT
ANIMVLAM PERSPICACISSIMAM
ADEO VT AMICIS TECVM LVDENTIBVS PHILOSOPHIS
PLVS SEMEL OS OBSTRVXERIS
QVVM MERA PERPERAM REBANTVR AVTOMATA
QVAE BRVTA NVNCVPANTVR ANIMANTIA
TENELLOS MODO COMPTO HOC BVSTO
PAR EST CONDI ARTVS VNDE
CANICVLVS ERAS BELLVLVS DELICATVLVS ATQVE
OMNIVM IVCVNDISSIMVS
SED QVO CIPPVM TE DIGNO ORNABIT ELOGIO
HERVS INCONSOLABILIS
ILLVD HERCLE SVMMI VATIS CARMEN
APPOSITE INSCRIBET
FORTVNATE LAPIS TVMVLOQVE BEATIOR OMNI
TV TEGIS IN TERRIS SI QVID HONORIS ERAT

EXCELLENTISSIMO DOMINO
MARCHIONI BERNARDO TANUSIO
REGIS UTRIUSQUE SICILIAE A SANCTIORIBUS CONSILIIS, ET A SECRETIS

NICOLAUS IGNARRA.

PRo mea erga Te, Excellentiſſime Domine, obſervantia, Graecae Inſcriptionis, nuper Heracleae in Magna Graecia repertae, paucíſque meis adnotationibus illuſtratae Tibi ſiſtitur exemplar. Erunt fortaſſe nonnulli, qui me gratiae tuae captandae cauſa id conſilii iniiſſe arbitrentur; quod equidem ex parte negare non auſim. At Commentariolum hoc qualecumque Tuis oculis ſubjiciendi ea ratio vel potiſſima fuit, ut a Te emendatum, limatius prodiret in vulgus. Scio tantis Te negotiis, quibus expediendis ſedulorum hominum centuria vix par eſſet, impeditum non abundare otio; tamen ex Tua vetere cum litteris conſuetudine conjecturam cepi, Te meam ſpem non eſſe fruſtraturum. Ea enim ingenii Tui eſt alacritas, tanta celeritas; totus ut publicis negotiis, totus ut litteris addictus videaris: adeo utrique parti affatim ſatisfacis, ut neutra Te ſibi ullo umquam tempore defuiſſe queratur. Hinc illa Tua apud Regem Noſtrum, ejuſque

que augustum Patrem Regem Catholicum, acerrimum ingeniorum aestimatorem, gratia; hinc illa apud cives auctoritas, ac praeclara apud exteros homines nominis Tui commendatio. Verum quod de universis adeo bene mereris; id profecto litterae sibi praecipue deberi contendunt; nec, ut opinor, injuria. Ex Musis enim Tuis contubernalibus, otii amantissimis, consilia Tu pacis hausisti: verum eximia Tua merita atque ornamenta hic molli brachio, ut ajunt, persequi, mihi nefas esse duco. Illuc ergo, unde diverteram, redeo. Ex Tua, inquam, vetere cum litteris consuetudine in spem evehor, fore; ut, licet innumeris negotiis distinearis, in hanc meam lucubratiunculam oculos conjicias: id si feceris, nihil mihi gratius poterit accidere. Restat illud, ut me, meaque omnia tradam in manum istam Tuam, egregia fide praestantem. Vale, meque, qui jam meus esse desii, sic ut rem tuam, si tanti videar, tuere. Neapoli. Idib. Octob. Ann. CIϽIϽCCLXIII.

ALE-

ALEXIO SYMMACHO MAZOCHIO

Metropol. Ecclesiae Neap. Canonico
Regio Sacrae Scripturae Interpreti

NICOLAUS IGNARRA S

MEas de Palaestra Neapolitana Exercitationes Tibi nunc, Alexi Symmache, inscribentem tradentemque in manus Tuas, id me arbitrare fecisse, quod tum grati animi officium, tum aequissima veterum consuetudo a me quodammodo flagitabat. Mos olim obtinuit, quemadmodum meminisse potes, temporibus heroicis usitatissimus, ut nati filiorum a partu rubentes, statim avi genibus imponerentur; qua caerimonia ac legitima traditione significabatur, in ejus esse potestate non minus genitos, quam gignentes; eique filiorum fructus, veluti ex agro suo natos, deberi. Ex hujusmodi praefatione plane jam, opinor, consilii mei rationem intellexisti totam: intelligis enim, Tibi tribui debere, quaecumque ego, qui Tuus sum, labore vel industria perfecerim. Tuum autem me esse reputo; non solum sponte mea, qua me totum ab aetate primam in Tuam clientelam ac disciplinam tradidi; sed etiam debito quodam officio, reverentia, ac pietate. Eo me siquidem amore ac prope dixerim, patria caritate, complexus es, neque vehementius amari a patre filius, neque prolixius ornari atque institui potuerit. Ac sane quaecumque munera & ornamenta ab indulgentia Regum Nostrorum adeptus

sum,

ſum, ea nonniſi vel commendatione Tua, vel honorifici de me judicii Tui gratia, conſecutus ſum; id quod & palam edico ſemper, & mecum libentiſſime recordor. Quae beneficia Tua cum ſingularia ſunt omnia, tum illud eſſe palmarium reor, quod diuturna atque intima conſuetudo Tua, quamplurimum mihi profuit ad ſeveriorem & diſciplinam & eruditionem; ſic ut ſi quid profecerim, Tua ſub inſtitutione me profeciſſe fatear. Itaque cum Tibi, quantum nemini, debeam, Tuuſque ſim mancipio ac nexu; conſequens fuit, ut non alius erga Te uſu fructuque exſiſterem, ut quem elaboraveram Commentarium, Tibi, magiſtro benemerentiſſimo, meique amatiſſimo, dedicarem. Atque utinam meum hoc opus, antequam prodiret in vulgus, emendari manu Tua potuiſſet! Profecto quae Tua ſemper fuit de mea exiſtimatione ſollicitudo, haud mihi rebuſque meis hoc tempore defuiſſes. Verum Tua aetas jam devexa, nec ultra patiens laboris, ea mihi commoda invidit. Sed ah quantum jacturae in Tuo ſenio, ceſſante nihilque agente, univerſi fecimus! quantum adhuc antiquitatis eruendum ſagacitate Tua, illuſtrandumque ſupereſſet! quanta praeclara opera Tua nunc in ſcriniis deliteſcentia, ultimam manum a Te praeſtolarentur! Nunc vero ſolitudini relicti, interceptam nobis eruditionem Tuam deſideramus. Te tamen, vel inerti & obliviosae ſenectuti traditum, ne pilo quidem minus reveremur & colimus; nam & tabulas pictorum magni nominis, quamquam vetuſtate fugientes, nec amplius, ut antea, aut linearum praeciſione, aut colorum lenocinio delectantes, jure me-

merito magni pendimus, cauteque ac religiose custodimus, non quod ab iis institui ad graphicen informarique posse confidimus; sed quia jucundum nobis est, in hisce tabulis exempla praestantium virorum, veluti quaedam simulacra virtutum, contemplari. Enim vero cum Te, Mazochi, intuemur; statim nobis excitantur in animo strenui Tui in Republica litteraria, impigre ac sine ulla remissione exhausti labores, ad octogesimum amplius annum summa cum laude producti: obversatur ob oculos inculpata vitae tuae ratio, honorum fuga contemptusque. Taceo morum sanctitatem ac severitatem; cum nunc quoque vel senex aetate collapsa, spirans tamen pristinum tuum Mazochianum, hoc est, gravitatem cum religione conjunctam, tantae sis auctoritatis, ut nemo, Te praesente, non se quoque sobrium, modestum, ac religiosum esse sentiat. Atque ad hoc tam excelsum existimationis fastigium nonnisi Tua Te virtus per omnes aetatum gradus exercita, Tua incomparabilis doctrina in tot voluminibus a Te datis emicans, evexit. Sane adeo graviter eruditeque scripsisti, ut legi; adeo innocenter & castigate vixisti; ut scribi ad posteritatis exemplar, omnino dignus sis. Quae duo, cum per se singula valeant hominem ornare, tum in Te simul conjuncta ac rarissimo exemplo connexa. Tibi auctoritatem, nomini Tuo immortalitatem conciliarunt. Interim faxit Deus, ut sis nobiscum quam diutissime; nam etsi per aetatem is es, qualem Te esse nollemus; vel sic tamen juvas ut cumque, & praesens ac vivus nobis es ad bene agendum & calcari

&

& incitamento: nos vero ſenectute Tua veneranda, ad ſolatium ejus Mazochii, qui pridem fuiſti, jucundiſſime delectamur. Vale. Neapoli Kal. Jul. anno MDCCLXX.

FRANCISCO SERAO

Regni Archiatro, & in Regia Academia Primario Medicinae Profeſſori

NICOLAUS IGNARRA.

NOſti fratrem meum Michaëlem? noſti quantum is Alexio Symmacho Mazochio, ob cujus recentem jacturam vixdum abſterſimus lacrimas, debebat? Enimvero ſimul ac is luctuoſiſſimum de Noſtri obitu nuntium accepit, ſtudioſe a me petiit, ut imaginem extincti viri, quantum poſſet, conſimilem; Commentariumque, in quo vitam ejus exponerem, ſibi tranſmittenda curarem. Amantiſſimo fratri, quem ſi mei dimidium eſſe dixerim, vereor ne parce ac jejune dicam, non potui non gerere morem. Itaque ubi primum licuit, curavi ut Mazochii effigies ab diligenti artifice exprimeretur; meque ad ſcribendam Vitam comparavi, hoc eſt, mihi ipſe laqueos, queis caperer & afflictarer, incautus tetendi; nam qui ab ea funeſtiſſima debuiſſem averti cogitatione, ultro memet in eam conjeci conficiendus. Qua recrudeſcentis doloris acerbitate utinam per Te, Serae praeſtantiſſime, carere potuiſſem! Caruiſſem certe, ſi quam ipſe

Mazochii Vitam, triginta amplius abhinc annis, contexere ſuſcepiſti, ad exitum perduxiſſes. Nunc ille tuus Commentarius mutilus eſt; in eoque non mediocris, exercitatior quidem certe, vitae pars deſideratur. At o diſpereant tot illae occupationes, quae aliae ex aliis te ſine intermiſſione diſtinuerunt; ne opus, quod Tibi, Mazochioque honorificum, & mihi in praeſentia perbelle commodum exſtitiſſet, abſolveres! Nimirum ea erat fati neceſſitas, ut qui omnium maxime de Mazochii obitu doliturus eram, univerſam ejus Vitam conſcriberem; eique ſcriptioni incumbens, aegritudinem mihi diutius extraherem.

Nam quo minus ego illinc inciperem, ubi Tu antea deſieras, deterritus ſui a prudentiſſimo pictorum conſilio; qui, vel quavis oblata utilitate detrectant, admovere manus egregio alicui archetypo, quod vel vetuſtas extrivit, vel quis alius caſus imperfectum eſſe voluit. Quis enim tam audax aut temerarius exſiſteret, qui affectam Raphaelis Sanctii, aut Hannibalis Caraccii tabulam e ſuo ſupplere confideret? Debebatur etiam is honos a me rebus Tuis, mi Serae; ut intactas relinquerem, neque eas induſtriae meae ſocietate dettererem. Iam vero ad reverentiae rationem acceſſit etiam juſta mearum virium aeſtimatio. Cum enim diffiderem, poſſe me Tuas ſcribendi veneres, exquiſitiſſimum verborum delectum, ac perſpicuitatem quantam maximam aequare; cumque pariter honori deeſſe meo nollem; nihil magis praecavere debui, quam ne una tecum compoſitus, majori ludibrio exponerer. Quocirca ſolus, ac ſeorſum a rebus

Tuis

Tuis, prodire volui; imitatus aſtutum conſilium cujuſdam pictoris; qui, ut a Plutarcho traditur, cum gallos depinxiſſet, admonuit puerum, ut gallos in proximo paſcentes abigeret; ne ex comparatione animantium cum depictis, propius colligeretur diſcrimen, ſuaque pingendi infelicitas efficacius in intuentium oculos incurreret.

Habes jam, Vir clariſſime, quamobrem Tuo uti levamento recuſans, totum onus ſuccollare maluerim. Nec porro Te latere poteſt, cur laborem hunc meum Tibi inſcribere voluerim. Namque, ut nunc miſſum faciam, quod Mazochius, dum vixit, quem pluris Te faceret, aut diligeret magis, habuerit neminem; Tuque viciſſim paribus mutui amoris ac benevolentiae officiis cum eo decertaris: cum partem quidem hujus Vitae priorem ex Tuo Commentario delegerim; in poſteriore vero ea de Mazochio narrarim, quae Tibi ferme, quam mihi ſunt exploratiora; partim officii, partim conſilii ratio flagitabat, ut lucubrationem meam Tuo judicio ſupponerem. Itaque iſtiuſmodi grati mei erga Te animi officium aſpernari non potes. Quo minus porro Te mihi ipſum conſulenti deneges, Tua ſingularis humanitas, quae Te ſecernit a populo, ſupraque ceteros effert, ſat ſcio, ſuaſerit. Equidem ſic ſentio: Tuam in exoticis linguis ſcientiam, hiſtoriae pleniſſimam notionem, ac profundam philoſophiae contemplationem, eſſe Tuarum laudum poſtremam: Te vero in exquiſitiſſimo humanitatis ſenſu excellere, & quodammodo triumphare. Indeque oritur illa Tua ſemper lenitas, totiuſque oris ad comitatem compoſitio,

ac tanta dicendi ſuaviloquentia ; ut jure merito Te eſſe non fabuloſam noſtrae urbis Sirenem univerſi praedicent. De me certe affirmare poſſum, quotieſcumque Tibi olim turbatis animi motibus occurrerim; memet ad aequabilitatem compoſuiſſe, non ſolum conſuetudine alloquiiſque Tuis recreatum, ſed etiam ſola Tui ſpecie vultus exhilaratum. Namque hoc praeterea Tibi genitrix Natura largita eſt; ut, cujuſmodi intus es, in externo etiam corporis habitu, vultu, inceſſu, luminumque jactu proderes. Atque haec tanta humanitas Tua mihi plane auguratur fore, ut meus hic labor benigne a Te accipiatur; &, quemadmodum numquam ad Te acceſſi, quin diſceſſerim moratior; utinam animadverſionibus Tuis emendatior, prodeat in lucem. Vale. Neapoli. Kal. Septmb. MDCCLXXII.

EXCELLENTISSIMO VIRO

OTHONI FRIDERICO

COMITI DE LYNDEN

Voorſtae & inferioris Hemerti Toparchae

NICOLAUS IGNARRA S.

PRaeclare mihi accidiſſe reor, ut meas Tibi, Vir non minus eruditione, quam generis nobilitate excellentiſſime, has Emendationes Hymni Homerici in Cererem dum inſcribo, ab ambitus ſuſpicione vacuus; nec niſi meam erga Te obſervantiam fuiſſe ſecutus, videar. Nam cui ſano in mentem venire umquam poterit, me per minutas eaſque grammaticas quaeſtiun-

culas, Tuum voluiſſe animum pertentare, eoque pacto ad Tuum patrocinium evadere? *Tale prandium non capit proditionem*, inquiebat magnus ille belli paciſque artium magiſter, Epaminondas, de ſuo prandio intelligens, quod ſrugaliter inſtructum, impar animis ſollicitandis erat. Itaque ut me Tibi gratum probarem, Amplitudini Tuae hoc qualecumque Opuſculum inſcripſi, amantium morem imitatus, qui obviae cuicumque cortici a ſe dilectae nomen inſculpunt, quaſi nihil aliud cogitare, atque exarare noſſent. Enimvero Tu mihi ſemper animo obverſaris, Tuaeque erga me liberalitatis & munificentiae contemplatio ita me totum extra me rapuit; ut egomet mihi jam non meus, ſed plane Tuus eſſe videar. Patere igitur, Vir excellentiſſime, ut beneficiis ego Tuis devinctiſſimus, quae mea ſunt, Tibi debita, repraeſentem. Vale, patronorum optime; Teque ad litterarum columen quam diutiſſime reſerva. Neapoli. Nonis Auguſti MDCCLXXXI.

EXCELLENTISSIMO VIRO

FRANCISCO ROVIGNO

Principi Pallgoriae.

NICOLAUS IGNARRA.

ETſi novis in dies, iiſque impeditiſſimis diſtinear negotiis, vix ut a labore reſpirare queam; tamen nihil ei curae praevertendum putavi, quam ut penſum mihi a Te demandatum celeriter abſolverem:

De-

Demandasti autem, ut veteris tui ex lapide anaglypti, quod ad brevem temporis usuram mihi pro tua humanitate commodasti, epigrammata graeca Tibi explanata submitterem. En eorum, quae in me recepi facturum, fidem exsolvo, facto initio ab ipsa anaglypti adumpratione; non quod ejus Tibi notitia necessario sit ingerenda; cum id manibus contrectare & oculis quotidie perlustrare possis; sed ut ipse mihi praestantissimi hujus cimelii memoriam describendo refricem.

Ligusticus lapis, ad modum lateris sectus, praecipua nostrae Religionis mysteria anaglypto opere, sed rudi artificio exhibet. Ejus longitudo septem, latitudo amplius sex uncias palmi Neapolitani aequat; at crassitudo digitum non excedit. Pars anterior in quatuor laterculos dividitur, quorum singuli scalptura non sine graeca inscriptione prae se ferunt, argumentis ex Novi Foederis historia desumptis. In primo laterculo Redemptor noster cruci affixus; in altero sepulturae redditus ob oculos ponitur; tertius Christum resurgentem; quartus Angelum saxo insidentem prope reclusum sepulchrum repraesentat.

Quod ad antiquitatem attinet; scalpturam ad XIII. saeculum, & fortasse ad citeriora tempora puto pertinere; ad summam, non multo esse vetustiorem Cruce elaboratissimi operis, quam anno superiore manibus prope contrivi meis; usque adeo laborioso illo scalptoris artificio capiebar: atqui Crucem hanc inscriptio Graeca in fundo basis incisa anno CIƆIƆLXIX. scalptam fuisse prodebat. Inde conjecturam duco, anagly-

glyptum, de quo loquor, cujusque scriptura in multis cum Cruce convenit, non multo remotiorem vetustatem redolere. Sed jam ad inscriptiones, quae in singulis segmentis incisae sunt, explicandas accedamus.

I. Hoc primum segmentum Crux Redemptorem affixum gerens occupat. Inter titulum Crucis hae litterae visuntur. HCT ΑΒΡΩCIC i. e. ἡ ςάβρωσις (seu potius) ἡ ςαύρωσις *Crucifixio*. In transverso crucis stipite notae Jesu Christi nominis siglae scalpuntur: $\overline{IC}$ $\overline{XC}$ i.e. Ἰησοῦς Χριςός. Ex utraque Crucis parte Maria & Joannes astant, addita utrique inscriptiones, nimirum ΜΡ ΘΥ i. e. Μήτηρ θεοῦ *Mater Dei*, & Ο ΑΓΙΟ ιω ό. ἅγιος Ἰοαννης *Sanctus Joannes*. Praeterea valde notandum est Crucis suppendaneum, quod non leve vetustatis indicium alicui videri posset. Sed nunc id non agimus: consulatur Bonarrotius in *De Vitris Christianorum*.

II. In secundo segmento Christus jacet in sepulchro porrectus: duo senes Ioseph ab Arimathaea, & Nicodemus (Joan. XIX. 38. 39.) circa Christum versantur; quorum unus amplectitur manus, alter pedes osculatur. Cum Christo mulier quaedam dolore exanimis accubat. Stant Ioannes caput in dextram reclinatus, & Maria Caelo supinas manus intendens, cui inscribitur ΜΡ Θ ut in praeced. num. *Mater Dei*. Mariam excipit altera mulier. Hae duo mulieres fortasse sunt Maria Magdalene, & Maria Ioseph; de quibus Marcus (XV. 47.) Suspensi pendent in aëre duo Angeli nescio quae linteola manibus gestantes, & Christum *sepultum* lugent; *sepultum* inquam; nam inscriptio

ptio illa duobus versibus scalpta ' ⏀ O Є N T ⅄ i. e. ταφθέντα *sepultum* notat. Sigla autem illa Φ tres simul litteras complectitur, nimirum T, ⅄, & Φ. Porro in littera Θ transversa linea scalptoris oscitantia praetermissa est. Adnotasse praeterea non poenitebit omnes icones aureola sive mavis laureola, fulgido nimirum circulo caput ambiente praeditas esse. *Nimbus* apud probos auctores dicitur; quod apud Christianos testatae sanctitatis est indicium. Sed et ipsos Ethnicos sic Deorum vel Imperatorum capita insignivisse testatur Servius ad Aeneid. III. 55. *Proprie*, iniquit, *nimbus est*, *qui Deorum vel Imperatorum capita quasi clara nebula nubere fingitur*. Verum haec obiter.

III. Tertius laterculus Christi resurrectionem exhibet; atque ibi praeter *Iesu Christi* nomen IC XC scribitur, Y ⅄ N ⅄ Ϛ ⅄ i. e. ἡ ἀνάςασις *Resurrectio*. Υ pro H perperam scalpitur; de quo vide num. sequ. Redemptor, debellata jam morte, Cruci decussatae veluti trophaeo innititur pedibus; sinistrâ parvulam Crucem ostentat, beatis spiritibus, qui, ipso resurgente, sepulchris exsilierant, circumfusus: (Matth. XXVII. 52.) *Et monumenta aperta sunt*, *&* *multa corpora sanctorum*, *qui dormierant*, *surrexerunt*, *&* *exeuntes de monumentis*. etc. Et sane hi veteris Testamenti Patres, tamquam e sepulchris, emergentes scalpuntur.

IV. Quartus laterculus plura scitu digna complectitur. Ex uno latere tres mulieres stant; sequitur Angelus ingenti saxo insidens prope sepulchrum, sed ostio recluso; in quo sepulchro visuntur exuviae corporis Christi, nempe lintea et fasciae, quibus fuerat circumliga-

ligatus; *ſicuti mos eſt Iudaeis ſepelire*, ut inquit Ioannes (XIX. 40.) Atque hîc mirari ſubit ſcalptoris artificium, qui lintea faſciaſque non huc atque illuc diſtracta vel in unum convoluta effigiavit; ſed eodem plane ſitu et poſitione, qua primum Chriſtus fuerat in ſepulchro compoſitus, ex ingenio ita ſcalpſit; nam contrarium ex Ioanne (XX. 7.) argui poſſet. Mulieres autem quibuſcum loquitur Angelus, ſunt illae, de quibus Lucas (XXIV. 12.) loquitur: (Mulieres) *venerunt ad monumentum portantes aromata*, *&* *invenerunt lapidem revolutum a monumento*. Supremum mortuo officium venerant perſolutum hae ſanctae Mulieres. Et ſane ex his tribus una vaſculum unguentarium, (myrothecium ne, an quo alio appellem nomine?) prae ſe ferre videtur. Sciscitantibus his de Chriſti cadavere, Angelus, intento ad ſepulchrum digito, reſpondet his verbis, quae in ſeptem lineas digeruntur: ΥΔЄΟ ΛΙΘΩ ΟΠȢ Є ΘΗΚ ΑΝ αυτ i. e. ἴδε ὁ λίθος ὅπου ἔθηκαν αὐτὸν, *Ecce lapis, ubi poſuerunt ipſum*. Sunt ipſa verba Marci (XVI. 6.); niſi quod pro ὁ λίθος, quod hîc ſcalpitur, in Marco legitur ὁ τόπος. Nuſquam, quod ſciam, ea lectio comparet. Aliter in exemplari Cantabricenſi, quod Bezae fuerat, legitur: ἴδετε ἐκεῖ τὸν τόπον αὐτόυ. Verum noſtri anaglypti lectio tantum abeſt, ut explodenda ſit; ut potius crediderim noſtrum artificem in optimos Novi Foederis textus incurriſſe, atque inde ſuam exſclupſiſſe inſcriptionem. Quod pro ΙΔЄ ſcalpſit ΥΔЄ artifex, ne mireris; nam ſequioribus ſaeculis, cum de genuino vocalium ſono amplius non haberetur ratio; nullum

jam inter H, I, Υ, & ЄI ſuperfuit deſcrimen in pronuntiatione; quod uſque eo proceſſit, ut ſcriptores ipſi elementum unum pro altero facile uſurparent. De hujuſmodi litteris alternantibus plura exempla proferre poſſem ex illa Cruce praeſertim, quam modo laudavi; verum res tanti non eſt. Sed & num. praeced. Υ pro H jam offenderamus.

Quae fuerint illae mulieres, quae ad monumentum accurrerant, diſerte nominat Marcus (XVI. 1.); at ſcalptor de ſuo addidit Virginem Mariam; nam mulieri illi, quae ex ceteris eminet, adſcripſit μρ i. e. Μή-τηρ *Mater*: quod quanti ſit ponderis, vel me tacente, quivis noverit.

Sed haec hactenus; nam longe plura adnotaſſe poteram, ſi per otium licuiſſet. Verum cui bono? Fruſtra enim eſſem, ſi de rebus hiſce diutius colloquerer Tecum, Vir doctiſſime; qui Chriſtianas pariter atque profanas antiquitates in numerato habes. Ergo luculentiora & ampliora his addere poteris, quae raptim mihi exciderunt; & ita ornare, ut noſtri homines Te non minus exquiſita eruditione, quam vetuſta generis nobilitate pollere percipiant. Vale. XIII. Kal. Januar. MDCCLVII.

ALEXIO SYMMACHO MAZOCHIO V. CL.

NICOLAUS INGARRA S. D.

SI quiſquam eſt, qui facilem in hominibus ſublevandis atque humanum praebere ſe ſtudet; in his profecto Tu, Vir clariſſime, nomen profiteris tuum.

Quo

Quo nomine mihi crede magnam apud omnes laudem es conſecutus; hanc enim benevolentiae expectationem quam Tui concitaſti, praeclare ſuſtines ac tueris. Cuius rei luculentus ipſe ſum teſtis. Ego enim cum de tanta rei familiaris, qua laborabam difficultate tecum eſſem conqueſtus, Tu contra mihi Te non defuturum ſpopondiſti. Enimvero illi, a quo allevationem nonnullam ſperare poteram, etiam atque etiam me commendaſti; quod nunquam ſane feciſſes, niſi Tibi dolorem meus attuliſſet dolor. Et quidem Tua apud illum commendatio plurimum, ut par erat, valuit; nam in rebus meis iam optatis fortuna reſpondit. Magna res geſta eſt; praeſertim cum id impetrarim, quod consequi me poſſe omnino deſperabam. Sed Tua id factum eſt non vulgari commendatione; Tibi uni hoc acceptum refero: quamobrem meam Tuorum erga me beneficiorum memoriam nulla unquam delebit oblivio; atque in grati animi ſignificationem has litteras ad Te mittere ſtatui; ut teſtatum apud animum Tuum relinquerem me tibi devinctiorem eſſe neminem. At quaeres fortaſſe, cur, cum Te paucis ante diebus, re iam confecta, inviſiſſem, his officii erga Te mei partibus coram non ſatisfecerim? Ridiculus equidem Tibi videor. Sed ſine me expurgem; ſcilicet eo domum Tuam veneram, quo tibi de ſingulari erga me beneficio gratias agerem. Hic tum animum meum, cetera inverecundum, neſcio quis moleſtus pudor inceſſit. Quid dicam? quid garriam huic Viro modeſtiſſimo, atque huiuſmodi ineptiis mirum quantum infenso? (tale aliquid de Te, Vir clariſſime, ſuſpicabar). Quid me miſerum

 tum

tum facere oporteret, plane ignorabam; officio ne deessem meae erant partes; per Te porro stabat, quominus diserte Tibi gratias agerem; verebar ne mea verba male consuta negotium Tibi potius crearent, quam meo erga Te officio facerent satis. Ibi dum in dubio est animus, ecce tibi Philippus Tui fratris filius; cuius conspectus in hoc uno articulo temporis mihi fuit importunus, alias vero iucundissimus. Siquidem Tu unus solus cum esses, facultatem dicendi mihi omnem eripiebas; praesente hoc arbitro, non modo vox, sed gula ipsa, ut ita dicam, mihi elisa est. Interim quo ex his me negotiis extricarem, litteras (has nam non erubescere noveram) Tibi dare ipse mihi persuasi; quare vel inofficiosum discedere mihi satius fuerit; usque eo me puduit. Quid remedii huic tu malo inveneris? meum sic est ingenium. Sed de purgatione satis. Reliquum est, ut me in Tuam recipias fidem. Vale; meque, ut facis, ama.

EIDEM

NICOLAUS IGNARRA S. D

PErvesperi accepi Tuam brevem epistolam, in qua duas res ut curarem Te velle significabas; scilicet ut de exemplo recte exprimendo sollicitus non essem; atque, exordio & fine neglectis, cetera exscriberem; quorum alterum per me, tametsi nullus moneres, praestitissem; probe enim nosti mea scriptura non lutum esse lutulentius. Alterum me confecturum Te sperare non debebas; nam quod ad exordium attinet, cur postero-

rum

rum utilitati ego non consulerem? scio equidem, cum haec, quae per otium a Te exarata sunt, futuro tempore publicae facta fuerint usurae, habituram, quo se oblectet, posteritatem. Finem quoque exscripsissem, si adeo iniqua papyrus in me non fuisset. Habes igitur rationem consilii mei. Impedior verecundia, ne Te pluribus verbis interpellem. R[illegible] tamen est, quod ab te oratum volo; ut valetudini tuae, si rempublicam litterariam valere vis, quam accuratissime servias.

EIDEM

NICOLAUS IGNARRA S. D.

Commodum a Te discesseram heri, cum mihi venit in mentem marmoreum illum titulum revisere, & si quid me imprudentem fugisset, diligentius rimari. Enimvero, cum illo advenio, coepi epigramma, ut aruspex exta, perspicere & pertentare. Graeca bene mihi cessisse laetor; exinde latinis oculos studiose adiicio; atque animadverto τὸ NI in exemplo a me Tibi reddito per summam iniuriam loco fuisse motum; siquidem illud a primo in alterum versum male cautus detruseram; quamobrem accuratius exemplum Tibi rescribere visum est. Peccatum fateor, mihi Te ignoscere aequum est; verum ne culpam in unum derives, ut factum est, edisseram. Scito me haud auspicato illuc appulisse; etenim tocularium in malum incidi miser; suffarcinatus accedo; librum explico, calamum, chartam, quaeque ad hanc rem sunt necessaria, appa-

ro ; pallium quo ſim expeditior, reiicio; oculiſque laborantibus vitrum adiungo : in exprimendo exemplo totus ſum, ridiculum ſane opinor negotium videbar. Qua nova re oblata in vicinia turbatum eſt, plurimique ad ſtudium videndi, & cognoſcendi feruntur. Conveniunt, meque miſerum circumvallant. Quid mihi tunc facto opus esset duxi, ſi fugam ornarem, ea me, quibus eram implicitus facile tranſiturum ; quare, viſis dumtaxat, quae a Laſena diſcrepabant, de verborum ordine minime ſollicitus; de circulo, velut ex indagine me repente ſubduxi. Conſilium meum Tibi ratum eſſe credo. Nihil mihi longius fuit; quam ut de ea re certiorem Te facerem, nec facile niſi per epiſtolam id me poſſe conſequi ratus; nam ſi per hanc diem adiri non poſſes, vel poteſtatem Tui non faceres, meae Tibi litterae facili negotio redderentur. Mea profecto intererat, ut quam primum ad Te ſincerum germanumque exemplum afferretur; ne ſi falſam corruptamve tabulam Tibi probarem, lege Cornelia de falſis arguerer. Interim videſis quantum in Iuris prudentia quantulo tempore profecerim. Sed de ludo ſatis eſt, ne hujuſmodi nugis diutius detineam Te. Vale.

PAULO MOCCIAE

Nicolaus Ignarra

Cum forte nudius tertius eſſem in taberna libraria Porcelliana, redditae mihi fuerant litterae tuae, quae perſpectum mihi quidem; ſed tamen dulcem ac jucundum amorem tuum mihi ſignificabant. Hoc tibi velim

lim persuadeas, me incredibilem ex tua consuetudine percipere voluptatem; itaque litteras tuas legi saepius; illas enim legens, Te ipsum loquentem videbar audire. Porro illud mihi fuit magnum tuae erga me fidei argumentum, quod verebaris ne ex tuo diuturno silentio Tu mihi nomine negligentiae suspectus fuisses. Nempe exquisita haec est amantium sedulitas; qui, cum studio, diligentia, observantia sui amicis satisfaciunt, sibi numquam ipsi satisfaciunt. At equidem etsi litteras tuas requisivi semper, officium tamen tuum satis mihi perspectum numquam accusavi.

De nummis Cauloniae Veliaeque Tibi vehementer gratulor; uterque ad ultimam antiquitatem pertinet. Hi Tibi ad alios conquirendos sitim acuent; & spero ut optatis tuis brevi fortuna respondeat.

Inscriptiones, quae mei mancipii sunt, in scheda seorsim hic exscriptas habebis. Ceterum cura ut valeas. Postridie Kal. Jul. MDCCLXIII.

FERDINANDO GALIANO

NICOLAUS IGNARRA

GRatias tibi ago ingentes, Vir praeclarissime, de pererudito tuo in nonnulla Pellerenii numismata Commentario, mihi tradito Kalendis Juliis anni 1772, tametsi epistola, quae munus, munerisque titulum significabat, exarata a Te fuerit Kalendis ipsis Martiis. Ego quoque serius, quam opus facto fuit, humanissimis tuis litteris respondeo; etsi in promptu, quo me

pur-

purgem, habeam. Tota enim anni illius aestate, & parte autumni non mediocri praeter opinionem meam, ac citra culpae occasionem exsulare e laribus meis coactus sum; nam cum me illae impeditissimum offendissent; nec mihi vel tantillum otii daretur; distuli in praesentia meo officio satisfacere; ac porro diem de die procrastinando eo tandem res deducta est, ut in conspectum Tuum me dare jam puderet. Et sane in proposito silentio durassem, nisi Daniel juvenis vir eminentissimi ingenii, parisque litteraturae, me solvendi debiti admonuisset, meque ad detergendum pudorem atque ad scribendum excitasset. Ergo, Vir praestantissime, gratias Tibi ago ingentes de pererudito Tuo Commentario, quem attente legi, Tuamque eruditionem cum acri judicio conjunctam demiratus sum. Tu interea, si me amas, valetudinem tuam cura diligenter. Vale.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
IOSEPHO SPINELLO
Nicolaus Ignarra

Si qua est causatio, quamobrem sera gratiarum actio reprehendi minus debeat, nullus profecto dubito, quin meae cunctationis, Em. Princeps, excusationem facile sis accepturus. Me etenim, quominus officii erga Te mei partibus facerem satis, tum molestus quidam & subrusticus pudor, tum ingenii mei tarditas impediebat. Atqui tacuissem porro, nisi Can. Jacobus

Fon-

Fontana hujus Seminarii Rector providentissimus, auctor mihi fuisset & idem suasor, uti me plane excuterem; atque omnia mei in Te grati animi sensa dicendo expromerem; tum si quid porro me suppuderet, de eo Tecum per litteras non nisi latinas agerem; hae enim, credo, minime omnium erubescunt. At vix tandem ab ingenii mei stupore, nescio quo, impetrare ipse potui, ut quicquid reculae frontem sinistra manu perfricando extundi posset, id alterâ litteris ego commendarem. Quid autem nunc potissimum complectar litteris? gratiarum ne actionem, qua me nunquam pro dignitate defuncturum esse profiteor, an Tuam facilitatem opinione majorem praedicavero? Et quidem Tua, Em. Princeps, Tua, inquam, facilitas conjuncta cum pari prudentia mihi in scribendo maxime ante oculos obversatur. Quid enim prolixius, quid liberalius a Tua in me humanitate proficisci potuit? Tu siquidem, una de me commendatione per litteras a Viro clarissimo Can. Alexio Symmacho Mazochio Tibi significata, multiplicis tituli sacerdotio me cohonestasti. Equidem praeter omnem exspectationem Tua in me beneficia consecutus, simul aperte profiteor, nihil in me esse, quamobrem a Te ornarer tantopere. Itaque Tua id factum est incredibili humanitate, uni Tuae facilitati hoc acceptum refero. Jam vero qui nunc sit animi in Te mei sensus, si mihi Tui esset copia; eum profecto & ipse probe nosses, & me Tibi totum praeterea patefacerem. At vero quia longa & ingrata mihi praecipue, locorum intervalla utrumque disterminant, hasce litteras meae in Te testes

obſervantiae paravi; in quibus ea argumenta ex intima arte depromere voluiſſem, quae Tibi diſerte ſignificarent, plurimos Tui eſſe ſtudioſos; me vero ita cupidum, ut paucos aeque devotos, atque obſervantes Te habere vellem exiſtimares. Sed neque id mihi facto opus fuit, neque tam accuratum ſcribendi genus Te probaturum ſatis ſcio. Nec enim dubito, quin pro humanitate Tua, eam de me opinionem, quam de me certe concipi ſcribens confidebam, ſis habiturus. Reliquum eſt, Princeps Eminentiſſime, ut me ad Tua genua provolutum, atque imam oram tuae Purpurae exoſculantem prolixa benedictione recrees foveaſque.

ANGELO GRANITO

Nicolaus Ignarra

S. D.

AEſtuaveram ego quidem, meque in utramque partem verſaram, cujus num uti deberem opera, ut iſti flores Pariſio Granito deferrentur; qui meae erga ipſum obſervantiae teſtes eſſent locupletiſſimi; donec ὁ πάνυ Alexius Mazochius auctor mihi fuit, & idem ſuaſor, uti per epiſtolam eam rem Tecum, Angele praeclariſſime, tranſigerem. Quod profecto conſilium palmare viſum mihi fuit, & pro re nata adeo commodum; ut nihil ſupra. Perſuaſit enim ille mihi magis opportunum, aut magis ex uſu meo, praeter Te unum, eſſe neminem. Siquidem ea Tui erga Te patris, &

Tua viciſſim erga patrem eſt voluntas; ut mutuis pietatis officiis ſemper decertetis; praeterea liberali Tute ingenio Tuo ductus, adeo ad amicitiam es propenſus; ut prorſus nemo melius, & prolixius amicorum temporibus ſtudeat, atque faveat. Quidni igitur opera ego Tua non vulgari uterer? quamobrem ſingulari erga me Tua fretus humanitate, hoc mihi ſumo, ut abs Te flagitem vehementer, meo uti nomine iſtud florum munuſculum (cujuſmodi noſtri loci, atque ordinis ſolent eſſe munera) deſeras, ſimulque nos humaniſſimo patri Tuo patrono optimo, cujus clientelae, & fidei nos eſſe commiſſos Te credo credere, quam accuratiſſime commendes. Quod opera Tua me conſecuturum ſpero, haud nihil eſt; ſiquidem ad eam voluntatem, quam Tuus erga nos pater ſua ſponte habet, tantus cumulus commendatione Tua accedet, quanti Te ab eo fieri ſentio. Praeterea ſibi plane teſtatum erit, gratiam ſuam a patre meo τῷ μακαρίτῃ ſtudioſiſſime collectam me non effudiſſe; ipſamque eo diligentius conſervare, ac tueri me velle intelliget; quo praeſentiori patrocinio modo, ſi unquam alibi, opus me habere animadvertit. Siquidem eum latere non poteſt, me ab excitata fortuna ad inclinatam, & prope jacentem deſciviſſe. Quid? Brancacius enim, a quo allevationem nonnullam ſperabam, omnium, quae patri Tuo recepit, mihique magnifice ſpopondit, gratiam fecit libentiſſime. Et tamen ex via noſtros animos rerum imperitos pollicitando illum lactaſſe comperi. Atque poſtquam a tot tantiſque anguſtiis pauliſper reſpirandi adempta ſpes eſt; cura confectus ipſe ſtupeo, & adeo

perturbato sum animo, praeque aegritudine adeo incerto; ut jam mortem libenter depecifcerer, nisi me ferendis miseriis dumtaxat natum esse crederem. Neque vero usque adeo stipes sum, nihil ut remedii fratrum ego meorum angustiis vellem invenire. Quid enim? numquid non magis meum, quam illorum animum hae calamitates habent sollicitum? Ita sane quidem se res habet. Ipse Brancacium adirem, eumque qua erga nos voluntate esset, expiscarer; nisi compertum haberem fore, ut ille, qua intemperie est, me dictis suis praearduis protelaret. Perspectum porro mihi est, patrem Tuum ea apud illum esse auctoritate, ut quod ipse sentit, idem non illi ratum videri non possit. Ad hoc non vereor, ne non, si nostri studiosus rem nostram vehementius tutatus fuerit, ne verbum quidem unum cum Brancacio commutaverit, atque ipsius animum recenti adhuc patris mei desiderio fortasse aegrotum facile ad misericordiam reduxerit. Quid igitur erit reliqui? nisi ut a Te petam, ut patri Tuo suggeras, ut commonefaciat Brancacium, ut quod verbis sibi promisit, re tandem comprobet. Quamvis certus sum me id a patre Tuo petere, quod sua humanitas a se impetrabit; tamen quod ipse sponte sua facturus est, hoc honoris Tui causa, Angele ornatissime, prolixius, & celerius faciat. Vale.

EIDEM

IN meae erga Te voluntatis, & officii ſignificationem, hoc qualecumque florum munus tibi, Angele ornatiſſime, juſſi reddendum non ſine comite epiſtola; in qua nihil eſt quod mireris, ſi eodem ac antea utar ſcribendi genere, id eſt, ſi meis non praeter ſolitum querelis ingenium Tuum ad miſericordiam proclive conturbem. Ipſe quoque mihi ſubiraſcebar, atque laetiſſimum epiſtolae argumentum pertractare conabar; ſed meo calamo fido animi interprete ſerviendum oportuit, qui in id videtur comparatus; nihil ut niſi meas ſollicitudines atque aerumnas ſcriptitet libenter. Erat praeterea, quamobrem a mea me conſuetudine ſurripere non poteram. Rei enim familiaris difficultas adeo moroſum me, & difficilem reddidit; ut rogandi finem nullum faciam: neque profecto deſiſtam; ſiquidem mihi omnia diffidenti pejora ſemper videntur impendere. Hoc quidem certe mihi eſt exploratius meam domum, patre meo reparatore viduatam, non ſecus, ac aedificium ſoluta, qua conſtabat, compage, majores quotidie trahere ruinas. Hinc profecto intelliges, quamobrem Tibi levidenſe hoc munuſculum curavi perferendum; ſcilicet, ut quam operam antea praeſtitiſti, eadem mihi nunc per Te uti liceret. Probe memini, quam vehementer in mea tutanda cauſa Te olim jactaſti; nam cum Vir Cl. Alexius Mazochius, Tui perſtudioſus, coram patre Tuo pro me deprecator acerrimus tantiſper reſtitiſſet; Tu veluti ex compoſito adrepſiſti ſuccenturiatus, at-

que

que ita in me tuendo diligentem, atque ambitiosum patefecisti; ut non mandatam, sed Tuam rem agere videreris. Habes igitur consilii mei rationem; & Vale.

LUDOVICO SFORZAE

NICOLAUS IGNARRA

S. D.

LUdovice mi, salve millies. Prolixius judicium de me Tuum suspectum haberem; nisi certo scirem, Te ita a natura comparatum esse, ut ad bene dicendum quidem sis omnium disertissimus, ad obtrectandum vero ne mutire quidem noris. Equidem laudo mitissimum ingenium Tuum; & ex humanitate Tua exploratum argumentum capio, quantum profeceris in iis litteris, quae ab humanitate quam fovent, humaniores non temere dicuntur: ut mittam jam, quod limatissimae litterae Tuae ad obrussam probae latinitatis exactae, eruditionem Tuam cum judicio conjunctam, satis superque prodebant. Quamobrem Tibi gratulor; & in spem certam ingredior fore, ut virtus Tua Tibi viam ad honores ac dignitates sternat & facilem, & expeditam. De me porro hoc Tibi persuadeas velim, me eo animo plane affectum esse; ut, sicubi operam meam Tibi non inutilem futuram confidas, nunquam meo erga Te officio, pro virili parte defuero. Vale III. Kal. Novemb. MDCCLXX.

IOSEPHUS CANTORIUS

NICOLAO IGNARRAE

S. D.

Convenit me superioribus diebus Illustrissimus Praesul Acerranus Cyrus de Alteriis, vir, ut scis, prisci moris, selectaque rerum Ecclesiasticarum eruditione conspicuus. Is quum familiares inter sermones Clarissimi Mazochii mentionem forte injecisset, peropportune ipsum monui, editum abs Te nuper luculentum sane, atque elegantissimum tanti viri Elogium. Quod ubi ipse accepit, principio valde laetari, quod Mazochii manes Te habuerint laudatorem, omnium studiorum ejus optime gnarum; mox modeste conqueri, quod, amicitiae suae nulla ratione habita, nullum sibi operis Tui misisses exemplar: instare denique, ut suas Tibi sive preces, sive expostulationes exhiberem, quo Te ad officium revocarem. Iure quippe a Te sibi deberi, ajebat, opus, quo celeberrimi, sibique olim amicissimi viri ingenium, mores, studia, gestaque ex fide enarrarentur. Quid tum ego? Caussam certe Tuam egi, quantum potui, accuratissime; ut Te omnimode excusarem, atque optimi, doctissimique Praesulis ut compescerem querimonias, omnia me Tibi relaturum spopondi. Interea, ut suo fervido legendi, & possidendi operis Tui desiderio facerem satis; exemplar illud in antecessum illi tradere duxi, quo Tu me, Tua pro humanitate, donatum voluisti. Ita factum, ut caussam Tuam dum agere allaborarim, statim egregio ingenii, eloquentiaeque Tuae monumento sim orbatus, quo delectabar quam ma-

maxime. Quae porro hinc dimanent consectaria, quaeve Tuae sint partes, ut cujusque jacturae, ut aequum est, me praestes indemnem, Tute ipse jam vides. Neque Te ulterius urgere putaverim, quum Te sciam non modo amicitiae, omniumque officiorum, quae ad humanitatem pertinent, valde studiosum; sed justitiae cum primis amantissimum, eximiumque cultorem. Vale. Neapoli IV. Kal. Martias MDCCLXXIII.

IOSEPHO CANTORIO

Nicolaus Ignarra

STatim a lectis litteris Tuis, exquisita latinitate atque humanitate plenis, misissem exemplar Vitae Mazochii, si tunc digestum, operaque libraria compactum domi habuissem. Id ut primum, quod mitterem, in promptu habui; curavi, ut ad Te perferretur, quo prioris exemplaris jactura resarciretur: tametsi, ut emendatius dicam, non jactura reputanda illa est, cum privatae utilitates in amicorum commoda conferuntur. Quamobrem cum Tibi plurimum aliunde debeo, tum ex eo maxime, quod id opusculum meum optimo Praesulum Cyro de Alteriis, quem adolescens observavi, ac porro colere numquam intermisi, donaveris; securus, a me Tibi compensatum iri, quodcumque dispendium in amici gratiam fecisses. Quae verissima Tua de meo Tibi obsequendi studio opinio, mirifice, mihi crede, placuit, ac plane beavit. Et ut semel dicam; quaecumque mea sunt,

non secus, ac Tua esse judica. Itaque ea, ut libet, dona, vende, vel oppignera: non solum enim verendum Tibi non est, ne Te aliquando stellionatus arcessam; sed immo persuasum Tibi habeas velim, Te mihi rem neque acceptiorem posse facere, neque gratiorem. Vale. Kal. Mart. MDCCLXXIII.

DEODATO TARGIANO

NICOLAUS IGNARRA

S. D.

HAs Tibi meas litteras Capassiano stylo facile exarassem, si amicorum tempora sinerent; ut cum Democrito potius ridere possem, quam flere cum Heraclito. Quidni plorem, utique nostrûm amicissimo viro laborante? quicum etsi vetustior, ac prope dicam interior Tua, quam mea fuerit consuetudo; mihi tamen potius quam Tibi dolendum est, ni Paschalis noster, quod omen avertant Superi, a valetudine convalescat. Quid autem, illo integram sanitatem non recuperante, meis praecipue impendeat cervicibus, Tecum ipse reputare poteris. Hinc in majori versor, quam quivis alius, aegritudine, de illius valetudine incertus. Quocirca rem mihi gratissimam feceris, si mihi per tabellarium meum, recte omnia esse (si per veritatem liceat); sin minus, quo statu se res habeat, significaris. Illud autem abs Te audire, quovis aere mercarer. Vale. XIII. Kal. Maii MDCCLXIV.

EIDEM

DE valetudine Paſchalis noſtri valde ſollicitus ſum, eoque magis angor animi; quod neminem nactus ſum, quem ſciſcitari potuiſſem. Achillem noſtrum hodie non vidi, non Cajetanum, nec quemquam eorum, qui ejus utuntur conſuetudine. Itaque cum omnia in deteriorem partem accipi ſoleant, quum in dubio eſt animus; facile poteris cognoſcere, in quantam aegritudinem ipſa me ignoratio conjecerit. At ſine ulla tua moleſtia me recreaveris, ſi tabellarium hunc meum (a quo ego porro reſcivero) ſtatum valetudinis noſtri familiaris apprime docueris. Amplius quod a Te deſiderem, in praeſentia non habeo; niſi ut me, quod facis, ames. Vale. Prid. Id. Apr. MDCCLXIV.

VIRO AMPLISSIMO
DOMINO
PELLERENIO
NICOLAUS IGNARRA

CUm aliis de cauſis plurimum debeo Thurio noſtro, viro ornatiſſimo; tum me illi devinctiſſimum ob id eſſe fateor, quod mihi viam ad ineundam Tuam amicitiam aperuit explanavitque. Itaque ſi per Te, Vir ampliſſime, non ſteterit, quo minus in Tuam recipiar fidem; jam ſpero conſore, ut illo, meae erga Te voluntatis interprete ac ſequeſtre, in cenſum Tuorum familiarum adſcribar. Ac quemadmodum novi ho-

hoſpites ſolent, ad quos tum primum divertunt, nonnulla deferre munuſcula; ſic ego, qui veluti ex improviſo in conſpectu gratiam Tuam impetraturus, meum *de Palaeſtra Neapolitana* opuſculum Tibi ſiſto; quod in mei erga Te grati animi ſignificationem accipias, etiam atque etiam velim. Atque utinam Thurius noſter, antequam commentarium hunc ederem, mihi obviam veniſſet! a quo cum plura de humanitate Tua (ut nunc taceam, quae mihi de ingenti Tua doctrina, eruditione, & exiſtimatione retulit) didiciſſem; in aegritudinem incidi, quod non prolixe, neque ſatis pro dignitate de Te loquutus ſim, ſicubi opus mihi fuit, ut Novi Tui Numiſmatum Theſauri mentionem facerem. Sane ſi Tua volumina (plurima eſſe memini), & quae ſub alieno tecto raptim ac fugiente oculo evolvi, mihi domi, hoc eſt commode, accurateque perlegere licuiſſet; profecto ni mihi plane judicium excidiſſet, ipſe quam honorifice de Te Tuiſque laboribus ſentiendum fuiſſet, facile intellexiſſem: peccatum fateor, ſed quamvis infectum eſſe nequit, alias tamen ſtudioſe emendare curabo. Vale, Vir eruditiſſime, atque humaniſſime; meque in Tuam clientelam, ſi ita videbitur, accipito; ac propterea ſi quid me curatum eſſe velis, fac ut per Chriſtophorum Perezium mei amantiſſimum, a ſecretis Legati Regis noſtri apud Regem veſtrum Chriſtianiſſimum, mihi impetrata Tua innoteſcant. Neapoli Poſtr. Id. Majas MDCCLXXI.

VIRO AMPLISSIMO
DOMINO
BARTHELEMIO
Academiae Parisiensis Socio
NICOLAUS IGNARRA.

MEmini, Vir Amplissime, Tibi petenti exemplar Inscriptionis Athleticae (*a*), in hac urbe detectae promisisse, tum me Tibi traditurum, cum Commentarius, quem in eam Inscriptionem ornabam, prodiisset in vulgus. En meam, cui me libenter obligavi, libero fidem; meamque opellam *De Palaestra Neapolitana*, ubi ea epigraphe suppletur, & explicatur, Tibi deferri quidem, opinione mea serius, curavi. Nuper enim mihi benigna Fortuna obtulit Thurium, communicipem Tuum, virum ornatissimum; quem, ubi intellexi brevi Parisios rediturum; rogavi hominem, ut in utriusque nostrûm gratiam, hac qualicumque sarcina gravaretur; & me simul cum ea humanitati, ac fidei Tuae studiosissime commendaret. Salutem a me des velim isti Christophoro Perezio a secretis Legati Regis nostri, viro optimo, meique amantissimo. Vale. Neapoli.

AM-

(a) Marmor, de quo hic sermo est, vidi, & osculatus sum Casertae in Museo Danieliano, veteribus monumentis refertissimo. CASTALDIUS.

AMPLISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE VIRO

COMITI LYNDENIO

NICOLAUS IGNARRA

A Vellejo Paterculo, & Jano Andrea Hultmanno, non linguâ, sed alio quodam suavi ac diserto modo loquacibus, intellexi, quantum me amares, quanti me faceres. Hos Tu, Excellentissime Vir, comites Tuos, e bibliotheca ablegatos, ad me per Cl. Virum Dominicum Deodatum (a) utriusque nostrûm amicissimum, deducendos curasti; ut essent prolixae erga me Tuae benevolentiae interpretes luculentissimi. Gratiosissimo, ut par erat, animo novos hospites excepi; eosque, quando lautia pro dignitate suppeditari non dabatur, millies amplexatus sum, atque exosculatus; statuique in oculatissimo musei mei loco, ut de liberalitate Tua me perpetuo admonerent. Itaque memor celsitudinis animi Tui; qui me nullius, aut saltem obscuri nominis, hominem, ultro adire ac devincire beneficiis Tuis voluisti; gratias Tibi ago ingentes, & quantulumcumque mihi aevi superfuerit, habebo: ac praeclare mecum actum esse putarim, si reliqua vitae meae tempora obsequiis Tuis traducere daretur. Vale; ac Te bono Reipublicae litterariae, quae Te Patronum indulgentissimum communi suffragio renuntiavit, quam diutissime serva; & adnitere, ut Musae, sacrae Anti-

(a) Vir hic litteris aeque ac pietate praestans, merito suo inter XVviros Palatinae Academiae Herculanensis cooptatus, finem vivendi fecit octo abhinc annis. CASTALDIVS.

tiquitatis cultrices, jam neglectae, & ad crepidinem ferme barbariei adductae, gravissima Tua auctoritate, doctrina, atque eruditione, sistantur incolumes. Neapoli Idibus Novemb. MDCCLXXX.

AL SIGNOR
D. VINCENZIO CALA' (a)
Veneratissimo, e Gentilissimo Signor Compare.

VOlendo rinvenire tra le carte del fu nostro Canonico Mazzocchi un'Inscrizione appartenente alle Fratrie di Napoli; in luogo di quella (*b*), inutilmente ricercata, mi abbattei in quest'altra, ch'è quì acchiusa. Caro mio Compare, vi assicuro che difficilmente si potrà ritrovare tra le Inscrizioni di Napoli una, che possa stare a fronte di questa. Essa è mancante nella parte destra; ma con l'ajuto di Dio, da cui ci viene ogni bene, mi lusingo di averla supplita tutta. Il ritrovarsi questa Inscrizione tra le carte del nostro Signor Canonico, e scritta di suo proprio pugno è per me un autentico attestato della sua genuinità; ma oggidì tutto si mette in dubbio; perciò vi prego di far qualche diligenza all' *Egizziaca* (così si avverte nella cartuccia), e credo che sia l' *Egizziaca di sotto*. Forse si potrà trovare nella parete stes-

(a) Ex Canonico Neapolitano Archiepiscopus Surrentinus superiore anno fuit renunciatus; vir genere, litteris, moribusque spectatissimus. CASTADIUS.

(b) Ejus Inscriptionis ectypon Auctori nostro curavit vir juvandis litteris natus Franciscus Daniel. Is enim, qua pollebat auctoritate, admotis scalis, quemadmodum ab eo fando audivimus, ut ad fidem marmoris illa exscriberetur, operam dedit; eamque editam videre est in *Phratriis* cap. II. pag. 121. CASTALDIVS.

ſteſſa, ove ritrovaſi l' Inſcrizione di Tito Veſpaſiano, che molti anni ſono andai a copiare (*a*); e mi ricorda, che nella ſteſſa parete, o a deſtra, o a ſiniſtra, o alquanto ſopra eravi un' altra Inſcrizione, che forſe ſarà quella, che ora vado cercando. Voi ſiete al par di me, e forſe più, animato alle ricerche patrie; per lo che non credo dover impiegar molte parole, per invitarvi al ritrovamento di sì nobile monumento; nè aggiungo altro. E, pregandovi de' miei oſſequj per li Signori Fratelli, reſto di vero cuore abbracciandovi.

Di Caſa 26. Agoſto 1790.

ALLO STESSO.

Caro ed Amato mio Signor Compare.

DOpo che vi ſcriſſi quella mia lettera de' 4. del corrente, m' avvidi (ciocchè prima non avea avvertito), che nella ſopraccarta della lettera ſcrittami da mio Nipote eravi annunciata la voſtra elezione a Canonico della Cattedrale. Da una parte ne giubilai di conſolazione, e dall' altra mi crucciai meco ſteſſo, per non eſſermi di ciò rallegrato con Voi. La voſtra lettera poi de' 31. ſcorſo (la quale jeri 5. corrente ricevei dal noſtro comune amico D. Ciccio Daniele) mi aſſicurò del ſucceſſo; e ringraziai Dio, che l' elezione foſſe caduta ſopra la perſona voſtra, la

(a) Illam publici juris fecit in *Palæſtra* cap. V. §. 4. pag. 109. CASTALDIVS.

la quale da molti anni era degna di tal decorazione; e Iddio sa quante volte mi sono afflitto, perchè il Cardinale vi avesse sino a quell'ora trascurato. In quanto a me, e per quello che mi dite, cioè di essersi pensato anche alla mia persona; vi assicuro da Cristiano, che fin da ragazzo di dodici anni, per una leggerezza puerile disprezzava simili onori; avvanzato poi in età, non gli curai affatto; ora che son vecchio mi contento ritrovarmi così come sono; essendo persuaso, che il Canonicato ora non servirebbe ad altro, se non perchè, *ut honorificentius efferrer*. Noi in questo Mondo siamo come tanti figuranti in un teatro: procuriamo di eseguir bene le nostre parti, per riscuoterne da Dio il premio di quelle maschere, ch' egli stesso ci ha fatto rappresentare (*a*); e tanto basti di ciò. Mi rivolgo per un poco a me; e per vostra consolazione vi dico, che continuo a star bene in questo sito. Il solo freddo mi angustia un poco; ma il freddo appunto conduce molto alla mia sanità. Gli occhi però mi dolgono un tantino; ed essendo memore del profitto, che ricavai da quell' acqua medicata, che mi favorì il vostro Signor Fratello D. Giacomo, vi priego dirgli che me ne proccuri un poco; e raddoppio le mie preghiere a Voi di

(a) Verba sunt Simplicii (*Comment. in Epict. Enchirid.*) *Impositam personam belle repraesentare designati histrionis est. Quare saepe servus, aut mendicus, aut furiosus probatur in fabula; dives autem, aut Imperator, aut Rex improbatur; quum illi datam personam belle exprimant; hi vero suam male, prout utrique in eo elaboraverunt. Sic etiam fit in vita. &c.* CASTALDIUS.

di riporre queſt' acqua in una carrafina ben chiuſa; e conſegnarla al Signor D. Ciccio Daniele, a cui ſcrivo ſu queſto propoſito. State ſano. Mille oſſequj a' Signori Fratelli, e al Signor Marcheſe Luogotenente: (a) ed abbracciandovi mi ripeto.

Caſerta 6. del 1793.

ALLO STESSO

Veneratiſſimo Signor Canonico, ed Amatiſſimo mio Compare.

IL noſtro comune amico D. Ciccio Daniele, ritrovandoſi quì a' 13. del corrente, m' informò della ſcoverta dell' Inſcrizione Etruſca in Tiano. Ne giubbilai di allegrezza; ma ora queſta mi ſi è raddoppiata, per averne avuta la copia con la graditiſſima voſtra lettera de' 16. Ve ne ringrazio infinitamente: ed avrei deſiderato ſapere ſe l' Inſcrizione foſſe intera, o pure nella ſiniſtra di chi legge vi foſſe ſtata qualche mancanza nell' intonaco, come ſoſpetto. In *Ponticello*, e non molto diſtante da un territorio di mia pertinenza, evvi una Chieſa ſotto il titolo di S. Maria a *Purchiano*. Un mio zio prete, allievo del noſtro Seminario, e che ſi adoperò a far entrar me nel

Q q Se-

(a) Philippus nempe Mazochius Marchio, magni Mazochii ex fratre nepos; ex Locumtenente Camerae Rationum Summarum, Sacri Regii Conſilii Praeſes; cui muneri immortuus eſt an. CIƆIƆCCXCIX CASTALDIVS.

Seminario stesso; ottenne dal Cardinal Cantelmo un beneficiuolo appoggiato alle rendite della suddetta Chiesa di S. Maria a *Purchiano*; ma di ciò *obiter*. Il mio impegno è di sapere se questo titolo a *Porchiano* sia *ab origine* del paese, o pure traslatato in quel luogo per qualche disavventura accaduta all' antica Chiesa di tal nome. Se ne potrebbe aver qualche lume dall'antiche Visite della Diocesi di Napoli, e specialmente da quella accreditatissima, e diligentissima Visita dell' Arcivescovo Annibale di Capua. Forse Voi avrete conoscenza di persona addetta a quell' Archivio; e se è così, vi prego darlene qualche premura per mia istruzione, o piuttosto per una curiosità letteraria, come a voce vi dirò (*a*). Quanto alla futura vacanza nel Capitolo, che mi accennate, vi dirò brevemente, che per me, e per la mia età non convengono altre onorificenze onerose. La Divina Provvidenza mi ha ricolmato di benedizioni; sicchè non ho bisogno di altri sussidj. L' età poi è molto avvanzata, e richiede di essere sgravata, non già di esser caricata di nuovi pesi. Vi par cosa indifferente l' andare alla Cattedrale per due settimane consecutive la mattina, e 'l giorno? Io non penso così: e poi ci è Orazio, che sempre mi fa sentire all' orecchio:

Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Mi

(a) De vico *Porchiano*, deque ejus denominatione verba fecit Noster in *Phratriis* cap. X. pag. 236. ibique in notis 20. & 21. Gastald.

Mi sono riuscite consolanti le buone nuove di salute del Signor Marchese Mazzocchi, e della Signora Marchesa. A questa consigliate, e fate vive premure perchè la mattina vada passeggiando, e si stanchi ancora; che così starà bene, e non avrà bisogno di Medici. Ho avuta la notizia da Napoli che mi sia stata recata a Casa la Polizza degli Studj. Dovrei pagare i soliti 20. ducati al Signor Canonico Rosini (a); ma, stando quì, mi veggo inabilitato a soddisfar il mio debito: ditegli che abbia pazienza; tanto più, che il nostro ritorno non potrà esser di molto ritardato. Dunque a rivederci tra breve; e intanto state sano. Riverisco il Signor Marchese, e i Signori vostri Fratelli; e caramente abbracciandovi, mi ripeto.

Caserta 20. Giugno 1793.

ALLO STESSO

Veneratissimo e Gentilissimo Signor Canonico, e Compare mio Carissimo.

JErisera giunsi da Caserta a Pietrabianca; e mi tratterrò in Napoli fino al ritorno, che sarà il Principe Ereditario in Caserta: starò però di giorno in Città; ma verrò a dormire a Pietrabianca. Desidero ardentemente vedervi; ma non saprei cogliere il tempo

(a) Nunc Episcopus Puteolanus praestanti doctrina vir; qui tunc temporis vices implebat Ignarrae, in Regia Studiorum Universitate. CASTALDIVS.

proprio. Sabbato il giorno potrei esser da Voi; giacchè non posso disporre delle ore antemeridiane. Di quante cose avrei a parlarvi! E' finito il mio lavoro; ma come ho scritto parte a Castellammare, e parte a Caserta, senza i miei libri, debbono aggiungersi i luoghi degli autori. Mancano ancora le Inscrizioni, delle quali ho parlato. Tra le mie carte ho trovata una graziosissima letteruccia latina del gran Mazzocchi, scritta a me dall' Arenella fin dall' anno 1752. o 53. (*a*). Io me ne ricordava appena, e credea averla smarrita. Ho ritrovata pure una bellissima correzione, che il suddetto mio Mecenate fece sopra una mia Inscrizione in verso fatta alla memoria di Giuseppe Buono padre di D. Bernardo, che forse Voi avrete conosciuto. Più, un'altra Inscrizione Mazzocchiana fatta per lo Museo di Portici; ma non fu ivi situata per fine politico, come a voce potrò dirvi (*b*). Basta, se la Divina Provvidenza ci farà incontrare, parleremo di tutto. Riverisco i Signori Fratelli, il Signor Canonico Rosini, e'l Signor Be-

vi-

(a) Eam vide sis inter Epistolas a doctis viris ad Ignarram datas, quae sequuntur. CASTALDIUS.

(b) Ex autographo Mazochiano hîc subjiciam Inscriptionem:

Carolus
Vtriusque Siciliae Rex
Et Amalia Regina
Vt ceterarum virtutum omnium
Ita antiquitatum cupiditate
Concordes
Quidquid veteris gazae tot annis
Ex effossionibus Herculanensibus
Pompeianis Stabiensibus Puteolanis
Contrahere impendio maximo
Potuerunt
In hanc Musarum sedem illatum
Suisque apte pinacothecis
Dispositum
Vetustatis amatoribus
Exposuerunt
CASTALDIUS.

vilacqua (*a*). State ſano; e caramente vi abbraccio.

2. Settembre 1794.

ALLO STESSO.

Veneratiſſimo Signor Canonico, e Cariſſimo mio Compare.

JEri dopo pranzo mi fu conſegnato dal Signor Duca di Gravina un biglietto, ſcrittomi dal Segretario del mio Eminentiſſimo Arciveſcovo; col quale mi ſi dicea, che S. Em. mi conferiva il Canonicato vacato per morte del Canonico Brancaccio. Non iſtò a tediarvi con deſcrivere le parità, ch'io faceva meco-ſteſſo, ſe doveſſi o nò accettare tal dignità, ſuperiore a qualſiſia mio merito, certamente moleſta alla mia età ben avvanzata: e perciò jeriſera non ve ne ſcriſſi, non ſapendo come ſcrivervene. La notte ſcorſa ſono ſtato in perpetua vigilia per mille capi di difficoltà, che mi ſi affacciavano alla fantaſia; e ſtamattina ho dovuto cavarmi ſangue. Il ſuddetto Signor Duca mi ha determinato finalmente al sì, con una rifleſſione degna di un ſavio uomo, e di un vero Criſtiano, come vi racconterò a voce. Dunque per ora ho ſcritto a S. Em. ringraziandola, e dicendole che ſubito che potrò verrò di perſona a fare il mio

(a) Ioſephus Bevilacqua, utpote è ludo Franciſci Serai profectus, penitioris clinices uſu ſatis inter ſuos clarus, omniumque elegantiarum ſectator mirificus. CASTALDIUS.

mio dovere. Ho raccomandata tale mia lettera al Canonico Cataneo (*a*), com'anche a lui consegnerò la presente. *Quid plura? Me, ut facis, ama. Vale.* Mille ossequj al Signor Canonico Rosini, e un abbraccio al Signor Bevilacqua.

Caserta 5. Marzo 1795.

IGNARRIO NEQUAM

Mazochius Offensissimus

Jam primum praedico Tibi: quem Tui studiosum habueras, iratum reperies. Omitto illud quod in fronte epistolii, uno Illustrissimatu contentus, me Reverendissimatu fraudaveris, diuturnis laboribus mihi parto: quo mehercule me, & Sacristiae Majoris, & S. Restitutae clerici numquam non prolixe ornant. Neque id solum; sed & maledixisti mihi, dum, pessime rerum, dentes cariosos meos per summam contumeliam objectasti. An ullum est piaculum, quo Tibi me placaturum speres? Non, si ad ravim usque opprobria recantaris. Sed probe Te ulciscetur Spinellus, Spinellus ille qui me tamdiu est insectatus. Nunc in Te omnis procella incumbet, nisi caveris. Caveris autem? haud, mihi crede, potis es ut effugias. Salutem prolixam a me Targiano dices: quem si sapis, matutinus vespertinusque invises, modo ne diuturnus assideas, neve impeditissimum mortalium eneces. Vale, sed damno meo. Prid. Idus, ex Arenulano gurgustio.

DEL-

(a) Camillus Cataneus ex Montisfcaveosi Marchionibus, modo Archiepiscopus Acheruntinus, & Materanus. CASTALDIVS.

DELLO STESSO.

Signore Illuſtriſſimo, e Cariſſimo.

SOno nell' obbligo di dirvi poche parole, ma ſenza che Filippo le ſenta, tuttochè ſieno per lui utiliſſime; onde potriamo vederci in qual che Chieſa vicina, qualunque ſia. Si diſcorrerebbe pure delle lettere, e di altri pezzetti MSS. che voi poſſedete. Inſomma, queſto diſcorſo ſarebbe utile per me, e per Voi. Vi bacio le mani. Io Canonico Mazzocchi.

DELLO STESSO.

Caſa 13. Gennaro 1767.

Cariſſimo, e Stimatiſſimo Amico.

VI prego far preſente a S. E. il Signor Marcheſe Tanucci, che queſta è la terza volta, che ardiſco di ricordargli la clemenza uſatami da S. M. Cattolica, con avere raccomandato mio nipote Filippo, per vedere me conſolato in queſta mia eſtrema decrepitezza colla promozione di Lui a un Giudicato di Vicaria; e le benigne promeſſe fattemi da S. E. a ſeconda del genio moſtrato da quel Monarca, il quale mi è ſtato ſempre oltre modo propizio. Io ſo bene, che dovrei eſſere io ſteſſo a piedi di S. E. per porgerle queſte mie ſuppliche: ma Voi, che ſapete lo ſtato mio, potete far le mie ſcuſe; come io ve ne prego di tutto cuore. E ſicuro che il Signor Marcheſe le voglia ammettere, con vera ſtima ed oſſequio reſto ſempre più voſtro.

DEL-

AVrete la bontà per ſabbato il giorno fare un' epigramma latino Voi , un altro Anduſilla ; e ditelo ad altri compagni, che facciano il medeſimo, perchè ne ho biſogno di quattro ſopra l' Infante Reale : perchè altri cinque ne farò io ; eſſendone ſtato richieſto da amico di ſomma ſoggezione . Regolatevi Voi col ſenſo ; e perchè ſervono per Bari, non mi curo che ſieno fatti con preſcia . &c. Voi ſiete felici in queſto ; ed è buono che vi eſercitiate .

VIRO CLARISSIMO CELEBERRIMOQVE

D O M I N O

NICOLAO IGNARRAE

ATHENEI NEAPOLITANI PROFESSORI, ET REGIAE ACADEMIAE HERCULANENSIS COLLEGAE DIGNISSIMO DE LITTERIS , ET LITTERATIS BENEMERENTI MUNUSCULUM HOC CHARTACEUM DEVOTISSIMO ANIMI CULTU OFFERT

MENTE LINGUA MANUQUE

IACOBUS IONAS BIORNSTAHL

Mola falſa litat, quia thura non habet.

COnſule vero aequi bonique levidenſe donum, Vir Clariſſime, perexiguum id quidem, ac tenue pro tot tantiſque prolixi Tui in me animi documentis ; at illud non pondere , nullius enim eſt ; ſed mente dedicantis , quae Tui eſt amantiſſima , metire . Non enim Te jam diligo , ſed amo : obſides vero mei in Te amoris flagrantiſſimi habe vo-

votivas preces, & faustissima omina, quibus Te prosequor. Vive quam diutissime incolumis, sospes, felix, immo felicissimus, Fortunaeque obsequia nullo non tempore experire: Vive amicorum delicium, & decus: Vive doctae Parthenopes, atque adeo Reipublicae litterariae ornamentum & sidus; pluraque Ignarriana, ne dicam an Mazochiana, id est vernantia, & Te omnino digna opera conscribito; nomenque Tuum aeternitati commenda; Graecis Latinisque marmoribus & nummis, quorum haec terra est feracissima, docte, uti soles, explicandis resarciendisque; vel antiquitatibus enucleandis, & illustrandis, vel potius, quoniam nulla hac brevior propiorque ad immortalitatem est via, Papyris Herculanensibus, per quas Augusteum hoc nostro tempore reviviscet saeculum, atque uberrima eruditionis seges, publicandis. At quantam, bone Deus! apud totum, qua cultioribus litteris patet, Orbem, inibis gratiam! qui jamdiu anxius expectat, morae impatiens, hanc tam inopinam quidem & insperatam, sed a Fortuna datam reconditioris scientiae, & prisci aevi lectissimam messem: feliciter perge. Etenim admiranda utique providi Numinis cura factum mihi videtur, ut liquefactis Vesevi saxis, & pumicibus tegerentur integrae urbes, & tot antiquitatum thesauri absconderentur, magnarumque artium monumenta, & librorum statuarumque ditissima supellex; non tantum ab edaci rerum tempore, sed & ab immanium Barbarorum insultibus, quibus imagines, scriptaeque Papyri, quam maxime sunt invisae; ut huic reservarentur saeculo Musarum amantissimo, laetioreque fato resurgerent; quum essent, qui nossent justum illis pretium statuere: alioquin enim idem forte illis ac-

 ci-

cidisset, quod Alexandrinae Bibliothecae factum, non sine horrore, legimus. Sed avertit Deus inauspicatissimum omen, praestititque sua providentia, ut novus hinc nasceretur saeculorum ordo; rediretque hodie, quod nemo unquam sperare ausus fuerat, antiquus Orbis, & pristini temporis gloria; quae, uti magni Regis, secundi Augusti, curae debetur; ita magni Maecenatis consilio fovetur, & augescit; cuius in litteras litterarumque cultores favor tantus est, ut credam antiquatum iri Maecenatis nomen, & aliud novum Tanusii successurum. Felices vero nimium Herculanenses Academici, quibus contigit tantae gloriae esse sociis; & ea antiquitatis spolia contemplari, & tractare; eaque suis oculis legere volumina, quae forte suis manibus versarunt Cicero, Virgilius, Horatius, Plinius, quin ipse Maecenas, & sexcenti alii prisci Orbis heroes litterarii. Illud stupendae operae, & diligentiae ne fando quidem auditae exemplum, Carcanius, qui unus Atlas inventus est par oneri civili, & simul litterario suis humeris ferendo; qui unus pro Herculano Herculeos labores valet sustinere, adipiscetur, vel invitus, immortale nomen. Tuque Mazochianae eruditionis ex asse heres, Spartam quam nactus es, maxime orna. De Te enim tantam opinionem foveo, & fovet optimus quisque, quanta, quum maxima est, esse solet. Te vivo, Te felice, non expirabit, qui totus quantus inde spirare nobis videtur Mazochius, qui miraculum Europae litterariae audit. Macte hoc tanto honore, & vive; nam & post fata vives; vives, inquam, in libris, vives in Papyris revivis centibus. Admiror equidem, & mirabitur posteritas

My-

Myſtae illius ſolertiſſimam manum, & induſtriam ſine pari; cujus obſtinata opera factum, ut legi poſſint non jam Papyrorum volumina, ſed carbones & favillae; quot vero ora Te laudabant, ſi curaveris, ut quantocius prodeant in dias luminis auras. Vale, mi Ignarra; & magnos Seraum, & Carcanium, & quantaquumque mihi cara nomina, reliquoſque Academicos Herculanenſes; atque humaniſſimos diſertiſſimoſque Dominos Mocciam, Danieliumque amiciſsimum, meo nomine ſalvere, & diu rem bene gerere jubeas. Vale, iterumque vale, Vir multo clariſſime; & fac ut mei, ſi meruero, ſemper memineris. Unus enim ſum ex aſſe.

Neapoli III. Non. Septembr. Ann. CIↃIↃCCLXXI.

NICOLAO IGNARRAE

VIRO DE LITTERIS BENEMERENTISSIMO

NICOLAUS CIAMPITTI (a)

S. D.

QUantus e Salvatoris Aulae occaſu dolor ad Te, Vir ampliſſime, pervenerit, ego imprimis ſum teſtis. Cum enim paucis ab illius obitu diebus ornatiſſimum ſane juvenem Cajetanum Carcani officii cauſſa adiiſſem, Tuque ſuper-ve-

(a) Vir hic inculpatiſſimis moribus, quaeſitiſſimiſque litteris ornatus; quo praeceptore me fuiſse uſum in Seminario Neapolitano honori mihi ſemper ducam; nuper inter Regiae Studiorum Univerſitatis Profeſsores, interque Cathedralis Eccleſiae Canonicos, & inter XXviros R. Academiae, mira omnium conſenſione, eſt cooptatus. CASTALDIVS.

veniſſes ; nulla alia de re , niſi de Salvatore noſtro nobiſcum pluſculas per horas ſuaviſſime collocutus es . Ex oculis autem , ore , ac ſermone ipſo facile apparebat , Te maximo amiciſſimi hominis , quicum una ſimul ſub eadem Seminarii umbra , ac ſeveriſſima , ut illa tempora ferebant , diſciplina , tot annos conjunctiſſime vixiſti , deſiderio condolere . Extemplo intellexi , quam aptum praeclaros inter viros amicitiae vinculum virtus innectat , quod ne mors quidem ipſa poſſit abrumpere . Jam vero vir optimus , qui apud me valet quamplurimum , enixe mecum egit , ut Salvatoris Vitam litteris conſignarem . Equidem , cum neque otii , quo longiorem ſcriptionem ingrederer , neque animi , quo illius auctoritatem declinarem , ſatis haberem ; illud conſilii cepi , ut prima quaedam quaſi lineamenta ducerem , quibus hominem adumbrarem immortali memoria digniſſimum . Hoc autem quidquid eſt reculae ad Te miſi ; tum ut moerorem abſtergerem commemoratione aetatis , officii , religionis , ac ſtudiorum agitatione traductae ; tum vero , ut Te rerum (fere enim omnibus vitae actibus vel affuiſti , vel interfuiſti) fundum atque auctorem darem ; quod boni conſulas etiam atque etiam rogo . Vale ; Teque ad literarum incrementum ſerva diutiſſime . Ex AEdibus Seminarii Neapolitani IV. Idus Septembres CIϽIϽCCLXXII.

Ni-

NICOLAO IGNARRAE
PRAECEPTORI AC COMPATRI SVO
S. P. D.

Vincentius Calà Offorius de Figueroa
Ex Marchionibus Villaenovae.

EGo etsi omni officio atque amore erga Te ceteris fortasse satisfecisse videar, mihi tamen nunquam satisfacere posse putavi, nisi posteritati etiam testatum relinquerem, quantis sim Tibi vinculis obstrictus, qui me a teneris annis summa benevolentia, multisque benefactis sis amantissime prosequutus: accedebat, & illud, quod cum ex mea virtute (si qua in me virtus est) nullam mihi laudem spondere possem; non mediocrem gloriolam consequuturum sperabam, si notum posteris fecissem, me Tibi summa consuetudine ac familiaritate conjunctissimum fuisse. Si enim jucunda, ut ille ait, laus est, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt; non parvam me laudem adepturum confidebam, quod dignus Tibi laudatissimo scilicet maximaque gloria cumulatissimo viro visus essem, quem tanta caritate, & benevolentia complectereris. Hoc ut assequar, hunc Tibi pusillum libellum mittendum putavi, non recens domi natum; sed plurimis ab hinc annis informatum ad eam Hesiodi editionem adornandam, quam adolescens adhuc animo conceperam. Nimirum illa aetatula, quando adolescentuli, qui flagrantissimo mentis ardore in humanitatis ac litterarum studia incumbunt, magna, ac praeclara minantur, *atque illo beatissimo tempore, quo cum Mazochio nostro τῷ μακαρίτῃ rusticabamur*

mur, cum absolutissimam illius poetae editionem essem architectatus, hunc Indicem adumbraveram. Non me quidem latebat dudum a Matthia Pasore, hanc σπαρταν fuisse adornatam; sed ille Pasoris labor, etsi Graecarum litterarum studiosae juventuti utilis sit; provectiores tamen nullum, aut paene nullum ex eo commodum habere satis norunt in hisce rebus exercitati; cum ille Index nec omnes contineat dictiones, & quas enumerat, non, nisi semel, citet; idque in caussa fuit, ut ab inchoato illum omnibus numeris explendum construendumque mihi desumpserim. Sed quoniam mea tempora, dum aliud ex alio nectitur, ab harum litterarum amoenitate ad graviores curas, atque alia studia avocarunt, illa editio evanuit. Accessit quoque & aliud, quod penitus persuasit, ut eam cogitationem animo prorsus abjicerem; copiosissima scilicet, atque uberrima, hujus Poetae editio, quae anno 1778. *Lipsiae prodiit, curante Cristophoro Friderico Loesnero, cui vix erat, quod adderem. Atque hinc factum, ut hic Index pulveri, ac tineis damnatus in forulis delitesceret. At superiore anno, cum pro re nata M. Wolfangi Seberi Indicem Homericum evolverem, quem ille Iano Grutero hortatore absolvit, & edidit; de hoc etiam Hesiodeo Indice seperatim edendo cogitare coepi; cumque mense majo apud amicorum coryphaeum* Cajetanum *Mezzacapo Montis Rubri Marchionem paternae amicitiae, ac diuturae mecum consuetudinis necessitudine, ut probe nosti, conjunctissimum in ora Amalphitana diversarer, nactus in eo otio pusillum laxamenti, eum incudi reddidi; atque* Neapolim *reversus, operis excudendum tradidi. Atque haec fuit hujus editionis occasio, & consilium. De ipso autem*

In-

Indice quid moneam non habeo , nisi me in eo limando Wartonii Indicem Theocriteum sequutum ; quod ideo animadvertendum duxi , ne quis scrupulosam nimis mihi diligentiam objectet , quod omnes encliticas , conjunctiones , & si quae sunt hoc genus grammaticae quisquiliae , sedulo adnumeraverim ; quod si non Wartonio , nec mihi vitio tribuendum est , praesertim cum aliqua dari possit occasio , quae eas investigare flagitet . Est & praeterea aliud quod adjungam , me scilicet hanc oblatam occasionem amittere noluisse impertiendi philologis variantes lectiones , quas ad eam editionem , de qua supra memoravi , collegeram ex collatione mei Codicis membranacei Operum & Dierum *Hesiodi cum editione Oxoniensi . Quas varietates , etsi magna ex parte ex festinatione , & negligentia librarii profectas esse clare pateat ; cum tamen sint quaedam , unde aliquam non contemnendam correctionem , atque emendationem expiscari poterunt eruditi ; ideo eas heic scrupulose publicare destinavi , sequutus magnorum criticorum exemplum , & praesertim , ne ab Hesiodo discedam , Thomae Robinsonii editoris Oxoniensis , qui in calce illius editionis aliquot MSS. varietates omnes , etiam quae nihil momenti habere videntur , attente descripsit . Sed in publica commoda immane quantum peccarem , si Tua tempora tam bene in erudiendo , atque instituendo Principe Juventutis , qui in ipsis aetatis foribus tantam de se concitavit expectationem collocata , morarer . Tu interim hoc Tibi persuadeas velim , me in Te amando , atque observando nemini cessurum . Vale . Prid. Kal. Sext.* CIϽIϽCCXCI.

Caro Amico, e Padrone Riv.mo

Portici 20. Novembre ore 18 ½ 1770.

In punto vengo dal Signor Marchese Tanucci; ed ho avuto il piacere di sentirmi da lui ragionare dell' Opera vostra, e della dedicatoria a Mazzocchi, con encomj, e approvazione inesprimibile. Mi ha così parlato senza niente sapere con chi egli parlasse; ma io ho così creduto di dover dire della mia attinenza con Voi. Amico, veramente è stata cosa, che più non si potrebbe dire studiatamente. Ho avuto luogo, in uscire, di farne motto all' amico Carcani; il quale mi ha detto, che ne avea molto parlato anche con lui. Sapete il vostro obbligo nel momento. E senza più vi abbraccio.

Dovetti tornare jeri sera in Portici. Debbo essere giovedí in Napoli. Fatevi coscienza; non dico altro.

ALLO STESSO

Portici Venerdì sera 30. Novembre alle 6/2 1770.

Il tempo stemperatissimo rompe tutti i commercj; e bisogna aspettare quando vorrà finire tale scompiglio d' aria. Son due giorni, che quì me ne sto solo. Domattina sarò in Città fino a sera per diverse brighe. Sopra tutto mi preme veder risoluta la mossa di mio Fratello, di che scrissi jeri a D. Diego. Se possiamo vederci, mi sarà carisn-

rissimo. In Napoli proccurerò di vedere, o almeno scrivere all' amico Dragonetti; e poi ve ne informerò. Vi ringrazio della cura posta alla scelta del maestro per casa Laurino. Jeri m' inviluppai un poco a legger da capo l' Opera vostra; e, benchè sopra la mia, oggimai oscuratissima, e onoratissima atmosfera, capii nondimeno, che la cosa è di grado, ed ordine superiore. Per non aver voluto segnar la carta, sono scapitato insensibilmente; ed ora mi rincresce. Picci da Molfetta, di che vi parlerò. In sostanza in Corte bisogna esser fiottato per dire, e pregare; e non è la cosa di mia vocazione. Vi abbraccio, e bacio le mani di cuore.

DI FRANCESCO PEREZ BAYER

Illmo Sign. Sign. Padrone Col.mo

N*Ell' avere io lasciato un esemplare della mia Operetta per V. S. Ill.ma, oltre d' avere fatto un atto di mio dovere, mi ho procurato il vantaggio di mettere quella sotto la di Lei dottissima censura, siccome sono io stesso sottoposto a' suoi stimatissimi comandi: e adesso mi ritrovo con molte usure ricompensato dalla sua generosità ne' due esempj, co' quali Lei mi onora della sua dottissima versione del noto Epigramma Greco; la quale per verità m' è piaciuta infinitamente; perchè non solo ha sviscerato il vero senso di esso; ma perchè così resta chiarissimo il secondo distico, che prima era più oscuro delle tenebre Cimmerie. Io dunque, dopo di congratularmi con V. S. Illma. la ringrazio infinitamente; e mi faccio con ragione ono-*

re di conoscere una Persona del suo merito; bramando vivamente che si compiaccia di comandarmi sì in questa Corte, come in Spagna; verso dove sono già in procinto di partire, per fermarmi in Toleto luogo della mia residenza; e dove Lei se avesse qualche cosa a ordinarmi, mi ritroverà dispostissimo a servirla, e ciò sine fuco & fallaciis. *Fra tanto, rinnovando il mio ringraziamento, mi protesto qual sono.*

Roma 15. *Aprile* 1759.

DELLO STESSO

Ill.mo Sign. Sign. Padrone, ed Amico Stimatiss.

IL compitissimo foglio di V. S. Illustrissima datato li 3. Ottobre dell' anno scorso, e trasmessomi quà dal suo Signor Fratello, assieme colle due di lei eruditissime Opere: Vindiciae pro J. Martorellio, e Palimodia Auctoris Vindiciarum, *m' hanno arrecato somma consolazione; essendomi sempre molto grata la sua memoria, e molto più essendo accompagnata di doni sì preziosi; alla quale io corrispondo, ma solo con espressioni, e brame sterili di servirla, fino a tanto, ch'* Ella *si compiaccia di comandarmi. Trattanto desidero, che il viaggio del Signor D. Michele per queste parti mi dia qualche occasione di poterlo servire, siccome ho avuto l' onore d' esibirmi in suo ossequio vella mia risposta alla di lui cortesissima lettera; e se l' occorresse venir in questa Città, mi lusingo d' avere la sorte, che sarà il mio compagno alla tavola, e si lascierà servire di un letto pulito nella mia*

Casa

Casa, il tutto accompagnato da buona volontà. E venendo a' suoi eruditissimi Opuscoli, ho letto tutti e due con sommo piacere, e profitto. Il buon Martorelli ha del rossore in confessarsi vinto; ma io averei molto più vergogna di sostener cose fuori di strada, ed orrori, il che non si fa che con molti altri. Merita certamente il vanto d'aver il primo spiegato l'Epigramma, e ridotto a' recenti caratteri quelli antichi, e in gran parte obsoleti, che si vedono nell' originale, ed oltre di ciò legati, e senza accenti, nè divisioni, nè majuscole, nè nomi proprj: il che gli diede occasione di non conoscere il ragazzo Aristone, e finger Paola, oppure Lucia, come Lei lo burla, nella prima traduzione; e nella seconda farci nascere Messulo di messe propria, cioè crearlo, o farlo dal niente: via se Messulo si vedesse nell' anaglifo al fianco di uno de' genitori; ma per disgrazia di Martorelli, si vede nel mezzo μέσσος; *e voler nondimeno, che sia nome proprio, è a mio giudizio, voler frastornare le cose per un certo spirito di non voler comparir vinto. Io credo, che l'ingenua confessione d'esserlo, sarebbe a Martorelli più d'onore, che l'impegno di sostenere li suoi per altro molto discolpevoli errori; ma questo viene dall' esser tanto Lei, come Martorelli molto valentuomini; siccome arrivò nella discordia fra Ettore, ed Achille, de' quali in qualche luogo Orazio:*

Hectora priamiden animosumque inter Achillem
Ira fuit capitalis ut ultima divideret mors;
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit . . .

Io desidero, che quest' ira loro, non sia capitale, e che finisca presto; e giacchè ho avuta la sorte di raccogliere oltre le Vindicie, *e la* Palinodia; *del suo primo Opuscolo* Vetusti epigrammatis . . . editio accuratior, quo epitaphium antehac ἀδέαστοτον puero Aristoni vindicatur; *e gl'* ΑΠΟΛΟΓΟΥΜΕΝΑ pro Graeco Epigrammate *del Martorelli; mi piglio l'ardire di pregarla, mi voglia far la grazia d'acquistarmi, se fosse possibile, gli altri Opuscoli, che coll' occasione di quest' Epigramma si sono veduti costì, incominciando dal primo di Martorelli, nel quale si vede la prima di lui traduzione; e se intorno all' istesso Epigramma si è data alle stampe qualche cosa di più; perchè resto anziosò di far sopra di ciò una raccolta compita, alla quale forse avrei qualche cosarella propria da aggiungere; e se Lei vuole, come spero, favorirmi, la prego a consegnar il tutto a sua Eccellenza Monsignor Clemente, per il di cui mezzo potrà sicuramente arrivare nelle mie mani; e dimando di più il suo benigno compatimento. Lei vuol sapere cosa fo? Niente. Il coro occupa quasi tutto il giorno; e l'ore successive s' impiegano tutte nello studio della lingua araba, per adesso senza frutto, ma non senza qualche, benchè lontana speranza. Se io scrivessi, o pur stampassi qualche cosarella, mi farei un particolar onore di sottoporla alla sua censura dottissima, ed a quella del buon Signore, e Padrone mio Colendissimo il Signor Canonico Mazzocchi, a cui sono molto tenuto, e per la sua gentilezza, nel trasmettermi quà le* Repetitae vendiciae Actor. Bonon. S. Januarii; *e per l'ottima relazione, benchè falsa, che si è degnata di fare del*

del mio nessun merito al nostro amabile Sovrano. Lei dunque, la prego, mi facci grazia di manifestare a cotesto Signore il mio cuore penetrato e da affetto, e da gratitudine; e m' esibisca prontissimo a suoi comandi: aggiunga pure, che ho letto già qualche parte delle Vindiciae, *e che cercherò in questa Biblioteca Toletana, se forse ci fosse qualche leggenda antica di S. Gennaro. Di più dimando se fosse Lei quel giovine amicissimo, che si nomina nella pagina quarta delle* Vindiciae: *e finisco protestandomi qual sono. Toledo 3. Gennaro 1760.*

DELLO STESSO

Illmo Sign. Padrone mio Colendiss.

LA precedente lettera, ch' ebb' io l' onore di scriver a V.S. Illustrissima alli 3. di Gennaro, la mandai acclusa nel plico, che allora scrissi a Sua Eccellenza Monsignor Clemente; e quand' io stava aspettando la risposta di Monsignore, ho saputo, che sì l' una, che l' altro hanno corso burrasca, il che mi è di sommo dispiacere; ma almeno resto disingannato; e per fortuna mia ho ritrovato ne' miei scartafacci la copia, sulla quale si è fatta quella che precede. Io le dimando molte scuse; e la prego di volermi comandare; e non privarmi del resto de' suoi eruditissimi Opuscoli intorno al noto ragazzo Aristone, ed ancor di quelli del Martorelli. Prego ancor Lei d' onorarmi col fare all' amantissimo mio Signore Canonico Mazzocchi la più grata, e dolce memoria di questo suo buon servidore; il quale si confessa molto tenuto alla di lui

lui gran bontà, e gentilezza; della quale io sto al presente godendo gli effetti molto visibili; sù qual' affare forse ne dirà qualche cosa Sua Eccellenza al Signor Canonico: e di nuovo mi protesto

Di V. S. Ill.^{ma}

Toledo 25. *Aprile* 1760.

DEL CARDINALE SPINELLI

Molto Reverendo Signore.

Ho ricevuto la sua lettera latina, con cui mi ringrazia del Beneficio, che le ho conferito. I sentimenti di riconoscenza, e di zelo, co' quali si spiega, meritano tutto il mio affettuoso riflesso. Ella continui a farsi merito; impiegando lodevolmente i talenti, che Dio le ha dati: e si persuada, che saprò, anche lontano, averla a cuore; avanzandole intanto la mia Pastorale Benedizione.

Roma 3. *Marzo* 1752.

DELLO STESSO

Molto Reverendo Signore.

Ho gradito infinitamente la sua attenzione di mandarmi una copia del noto Epigramma, tradotto prima da D. Giacomo Martorelli, e poi da Lei. Tutti questi Letterati, a' quali l' ho comunicata, convennero nel mio sentimento, ch' abbia Ella rilevato assai meglio il valore, e lo

lo spirito delle Greche parole, e le hanno fatto grandi applausi. Continui V. S. ad impiegare i suoi talenti sotto la scorta del maggior Letterato, ch' abbia l'Italia, qual è indubitatamente il nostro incomparabile Signor Canonico Mazzocchi: ed io confermandole i miei parziali riflessi, resto sempre con bramarle salute.

Di V. S.

Roma 10. Aprile 1759.

DELLO STESSO

Molto Reverendo Signore

Ho ricevuto con molto piacere le due copie da Lei trasmessemi della sua antireplica Martorelliana, e l'ho anche fatte girare per le mani di questi nostri migliori Letterati, i quali altamente applaudiscono alla sua erudizione, e ne parlano con molta stima.

La rinunzia del Re Cattolico fatta alla Maestà del figlio nostro adoratissimo Sovrano, m'era arrivata per altra parte; ma ho gradito tuttavia la sua attenzione in mandarmela.

In quanto poi alla licenza de' libri proibiti, la consiglio a contentarsi di quella, che ha avuta; perchè adesso in questo genere di concessioni una delicatezza del Papa ha fatto rallentar la mano: e si va perciò con molta ristrettezza. Resto sempre di cuore

Di V. S.

Roma 4. Novembre 1759.

DEL

DELLO STESSO

Molto Reverendo Signore

LE licenze de' Libri proibiti si danno ora con maggior ristrettezza tanto dal S. Officio, quanto dalla Congregazione dell' Indice; e riguardo agli Autori Eretici, o trattanti di professo contro la Religione, si fa grandissima difficoltà ad accordarle. Tutte poi sono limitate ad un solo triennio. Se V. S. mi dirà più distintamente per quali facoltà, e per quali opere desidera la licenza, non ricuserò di adoperarmi, affinchè la conseguisca nella più ampla forma, che presentemente si possa.

Ho poi veduto con piacere il foglietto acchiusomi sulla sua disputa letteraria del noto Epigramma; e farò anche vederlo a persone, che gustano più di me queste materie: restando sempre con bramarle ogni prosperità.

Di V. S.

Roma 22. Maggio 1759.

DI SALVADORE D' AVLA

Seminario 8. Ottobre 1772.

VEneratissimo mio Signor D. Niccola, son venuto questa mattina per trovarvi nella Stamperia; ma ha servito sol per dare due passi. Onde ho risoluto di pregarvi con queste due righe della grazia, che volea cercarvi a voce.

Vi supplico dunque umilmente, che vogliate degnarvi di correggere a tutto rigore, se pur non sieno affatto in-

incorrigibili, queste tre Iscrizioni, da affiggersi alle tre porte della nostra Cattedrale in occasione della festa del B. Paolo di Arezzo. Par ch'io sia un po' troppo ardito in così francamente incomodarvi; ma confido nella vostra innata bontà, sperimentata da me, e più volte. Mi userete adunque questa gentilezza di leggerle, e rileggerle, e di emendar tutto. Mi lusingo di non restar deluso delle mie speranze. Potrete poi rimandarle per man del medesimo, che l'ha portate D. Giovanni Garera, un de' nostri compagni, che vien la sera al Seminario, ovvero per chi meglio vi parrà. Conservatevi; e pieno di rispetto vi b. l. m.

Di V. S.

DI AGOSTINO GIORGI

Illmo, e Revmo Signore

Roma 21. Settembre 1771.

QUanto mi duole, che sia mancato tra di noi quel grande, e veramente meraviglioso lume dell' Italia, o per meglio dire della Europa tutta, il nostro Signor Canonico Mazzocchi; altrettanto mi conforta, e consola la sicura speranza della beata sorte, alla quale cogli esempj delle sue illustri Cristiane azioni, e della vita ecclesiastica, di cui Egli ne fu sempre verace, e singolare modello, ha dimostrato di essere stato dalla grazia di Gesù Cristo divinamente eletto. Sarà certamente a V. S. Illma e Revma assai più che ad ogn' altro dispiacciuta

la di lui mancanza; poichè niuno amava tanto la di lui persona, quanto Ella stessa, che piena di virtù conosceva più che ogn' altro il di lui merito; e con animo di discepolo, ed allievo il più grato a sì grande maestro, e benefattore amantissimo, desiderava di vederlo nel proprio suo sembiante, e onorarlo in presenza. Ma Ella in altra maniera saprà temperare il suo incomparabile dolore; e tra gli altri riflessi quello di esser egli in istato di pregare Iddio per Lei; e continovarle più che mai l' ardore della sua paterna, e tenerissima benevolenza, potrà molto alleggerire la di Lei tristezza.

Più spesso che io potessi, le scriverei, Signor D. Niccola mio veneratissimo; ma sono sì frequenti, e nojose le varie mie occupazioni; che mi tolgono e il tempo, e il piacere di fare ciò, che più vorrei.

Non so se l' abbia mai scritto, che l' Efichio, *di cui le feci menzione costì in Napoli, è del* Pricèo. *Le aggiunte, e le correzioni, che vi ha fatte, sono molte; ma vi vorrebbe del tempo per osservarle, e raccorle insieme.*

La supplico de' miei più obbligati, più divoti, e sinceri ossequj a Sua Eccellenza mio singolarissimo Padrone il Signor D. Carlo de Marco. E con tutto l' animo mio pieno di ardentissima stima, e veracissimo rispetto, me le presento, e sono sempre.

NICOLAO IGNARRAE

VIRO CLARISSIMO

PASCHALIS BAFFI

S. P. D.

Etsi, emenso jam hujus anni scholastico curriculo, adventus meus istuc appropinquaret, brevique me suavissimae Tuae consuetudinis usura frui sperarem; tamen cum intellexerim ex superioribus fratris mei litteris, illas meas scriptiunculas graece exaratas de Russiae victricibus armis tantum abfuisse Tibi ut displicuerint, ut contra valde eas probaveris; necesse duxi, antequam hoc officium tecum coram agerem, hac epistola plurimas pro tua erga me benevolentia referre gratias; qua quoscumque ingenii mei foetus, ea qua soles humanitate, prosequeris. Et plane tum sermone multorum, tum ex Te ipso satis noveram tuam erga me bene merendi voluntatem. Id profecto longe mihi dulcissimum gratissimumque est, laudari quippe a laudato viro; sed fortasse plura, quam opus erat: venio ad alia majoris momenti. Diu est cum supplicem libellum porrexi, ut istuc vocarer cum munere graecas litteras in novo R. Ephebeo nobiles adolescentes docendi. Quorsum haec eant, me latet; innumeri enim sunt qui petunt; iique, ut audio, multiplici eruditione praediti; quibus tantum abest, ut me antecellere, quin longe inferiorem existimo. Quae igitur spes reliqua erit? Unica profecto, quod in hac electione acerrimum Tuum judicium consulendum omnino est: de Tua vero sententia quis decedat?

in hisce praesertim disciplinis, quae penes tum nostros, cum exteros tantum Tibi gloriae conciliarunt; ut jure secundus Mazochius audias; a quo hereditario veluti jure vastissimam eruditionem, moresque humanissimos vindicas. Nemini autem melius, quam Tibi mei ingenii vires patent: jamdiu enim est, cum in Tuam clientelam me recepisti, meque longa consuetudine probe dignoscere potuisti. Sed quo uberius Tibi mea innotescant, haec habe, quorum notitiam vel nullam, vel satis confusam ad Te delatam esse opinor: me scilicet, duobus prioribus annis (quartus nunc excurrit) in Graecis Latinisque litteris meos auditores instituisse. Vides jam quantum laborem exantlare mibi opus fuerit; non enim agebatur graeca latinis conjungere; sed haec eadem auditoribus proponere; duplexque hoc munus me unum sustinere. Quantum equidem adolescentes profecerint, ex hoc maxime cognosces, quod Graecos Latinosque auctores inoffenso percurrant pede, in iis praecipue, quae non nisi linguae cognitionem requirunt. Haec cum sint, Vir Clarissime, si me virum bonum, si dignum ea profiteri studia, easque disciplinas, quibus me a pueritia dedi, satis perspectum habes; me Tibi maximopere commendatum velim, Tuaque opera quantum potes (potes autem plurimum) adjuves. Vale VIII. Kal. Septem. CIƆIƆCCLXXIII. *Salerni*.

IOSEPHUS EBVILACQUA

Nicolao Ignarrae

S. P. D.

Nudius tertius Vincentius Calà, idem Tuus & idem meus, clariſſimi viri ac vere ſingularis Alexii Symmachi Mazochii Vitam a Te conſcriptam, quam tandiu deſideravi, Tuo nomine in manum tradidit; donumque ut gratius eſſet, non vulgaribus teſtatiſſimi amoris erga me Tui ſignificationibus cumulavit. Sane quam oblato munere ſum gaviſus! excellentium enim virorum vitas, quaſi propoſitum ad imitandum exemplar ſemper exiſtimavi: ſi religionem, ſi mores, ſi litteras ſpectes, quis Mazochio ad hanc rem melior, opportunior? Tu vero, Vir doctiſſime, pulcherrimum Opus tanta elegantia, venuſtateque ſermonis exornaſti; ut ſi ad nullam rem utile, quiſque orationis dulcedine rapiatur. Quam benigne, quam praeclare mecum agis, amiciſſime Nicolae: beaſti! uno ſpiritu, continenti lectione lucubrationem Tuam devoravi, millies legendam. Tanti a Te accepti beneficii nulla temporum longinquitas, nullaque rerum humanarum viciſſitudo memoriam delebit, gratiamque habebo ſempiternam: quodque unum poſſum, Deum immortalem, ut volens, propitiuſque Te publico bono natum diu ſoſpitet, magnopere orare, obteſtarique nunquam deſinam, praeſertim Natali ſuo, qui jam imminet. Vale. Neap. XII. Kal. Jan. CIↃIↃCCLXXXIV.

DI FRANCESCO TARDIA

Ill.mo, e Rev.mo Signore.

SEbbene io fossi stato da gran tempo ammiratore delle rare doti di V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima, e con ſomma avidità mi foſſi ſempre approfittato de' pregevoli frutti de' ſuoi talenti; non ho mai tuttavia fattomi lecito d'incommodarla con mie lettere, comechè ardentemente ne aveſſi bramata l'avventuroſa occaſione, che mi ſcemaſſe il roſſore d'importuno. Bramavo mille fiate almeno sfogar la mia gratitudine a' favori dalla di lei protezione compartitimi, con proteſtarmene eternamente obbligato; ma l'eſſerſi di farlo in mio nome indoſſato il Signor Canonico Schiavo, me ne ſon reſtato, contento di vedermi diſimpegnato da chi per antica amiſtà era a V. S. Illuſtriſſima ben noto, e molto caro. Mi ha tolto finalmente da qualunque riguardo il prezioſo dono dell' eruditiſſimo Commentario de Palaeſtra Neapolitana, *di cui ſi è compiaciuta Ella onorarmi. Un più lungo ſilenzio mi farebbe comparire inſenſibile, mentre io sfuggo la taccia di ardimentoſo. Io non ho laſciato di approfittarmene; e ſiccome con la preſente in atto di renderle i più diſtinti ringraziamenti, me ne dichiaro ſinchè io viva obbligato; così ſpero, ingordamente ſempre rileggendolo, cavarne, come da opulento teſoro, dovizie per me ſempre più vantaggioſe. Trovandomi infatti accinto a deſcrivere una Iſtoria Diplomatica di queſto Oſpedale di Palermo, avrò quindi l'occaſione di autorizzarmi alcune Note a' Diplomi co' belliſſimi tratti di ſua profonda erudizione. Quando anche aveſſi largo, rileggendo una mia Diſ-*

Diſſertazione ſu 'l Puniciſmo di Sicilia, *di pubblicarla*; *mi farei l' onore di valermi dell' autorevole ſua rifleſſione intorno all' articolo greco colla* καὶ *in mezzo a due nomi proprj*, *ſignificante i due nomi appartenere all iſteſſa perſona* (*di che nel c.* 2. *pag.* 33.) *in circoſtanza*, *ch' io da qualche eſempio*, *che me ne trovo*, *voleva correggere la traduzione del Vigerio di un paſſo di Sanconiatone riferito da Euſebio* (*lib.* I. *c.* 10. *della Prepar. Evan.*) *Ivi ſecondo la traduzione greca fatta dal Fenicio da Filone Biblio*, *diceſi* τῷ δὲ Δημαρῶντι γεννάται Μελίκαρθος, ὁ καὶ Ηρακλῆς, *ove egli il Vigerio traduſſe* (*ediz. Par.* 1628.) a Demaroonte Melicarthus, & Hercules procreantur, *che io volto* Demaroonti Melicarthus naſcitur, qui & Hercules dictus eſt. *Dovea per altro il Vigerio accorgerſi del ſuo sbaglio anche dal verbo* γεννάται.

Signore Illuſtriſſimo, *io porterò la taccia di adulatore*, *ſe mi apponeſsi a riandare tutti i pregi dell' Opera*, *che in poca parte io ne conoſca*. *Non poſſo però a meno*, *di non manifeſtare la mia ſorpreſa*, *come da tante accozzate*, *che altri chiamerebbe minuzie*, *ſa poi raccoglierne un tutto*, *che sforzino l' intelletto a renderſi perſuaſo del vero intrigato ed oſcuro*, *al di cui diciferamento non compariva ſtrada a riuſcirvi*. *Come da una ſola Iſcrizione tante belle ſcoverte ? Quanti paſsi di Stefano*, *di Pauſania*, *di Plinio reſtituiti alla ſua vera lezione ? Quanti di Eſichio*, *di Strabone*, *di Pauſania*, *di Plinio*, *di Cicerone*, *di Feſto meglio inteſi*, *che fin ad ora in tutto il Mondo letterario non s' era fatto ? Quanti di Plutarco*, *di Eſichio*, *di Dione Caſsio*, *di*

Ste-

Stefano, di Strabone, di Ausonio, di Plinio difesi dall' altrui critica smoderata, ed ingiusta? Come l'età di Petronio, finora incerta, si consegna al suo giusto tempo degli Antonini, e quella di Filostrato a' tempi di Nerone? Quante Iscrizioni illustrate, e supplite? Come sta ben difesa la Colonia Napolitana, e fissata la di lei epoca? E quel molto, che mi resta, e potrei dire, recando a chiunque ammirazione, perchè non dovrò ammirarlo io senza taccia di adulazione? Ecco infatti a purgarmi appresso V. S. Illustrissima, s' Ella si compiace ammettermi nel novero de' suoi scolari, io mi fo a domandar lume in certi pochi passi, ne' quali, forse per non avergli bene intesi, incespico dubbioso.

La correzione, che vuolsi (nella not. 10. *del c.* 2. *pag.* 33. *) della Iscrizione Gruteriana (* 912. 8. *) di* Φάβια *in* Φλαβια, *crederei potersi scusare da che, come eravi la gente Flavia, potea anche esservi la Fabia in Napoli, ed alcuni dell' entrambe aver il cognome di Zosimo. Anche nelle Iscrizioni di Sicilia, senza allontanarci dalla gente Fabia, e Flavia, ad alcuni di entrambe apposto scorgiamo l' istesso cognome. In Catania ritrovasi nominato Gneo Fabio Felice in una Iscrizione riferita nel Tesoro Muratoriano (vol.* 2. *cl.* 17. *pag.* 1162.*) nelle Iscrizioni di Sicilia pubblicate dal Signor Principe di Torremuzza (cl.* 12. *nu.* 23. *pag.* 149. *) ed ivi stesso in Catania Flavio Felice nella Iscrizione* 5. *(della* 7. *cl. pag.* 64. *delle di Torremuzza).*

Al c. 3. *(pag.* 39. *e* 40. *) a difender di errore lo scultore, che nella linea* 10. *scrisse aver Archibio superato* ἄνδρων παγκράτων, *perocchè infatti nella lin.* 11.

sup-

supplisce ἀνδρων παγκράτιον, *giudica V. S. Illustrissima, ch' egli in età di ragazzo lottò* cum viris, *da' quali riportò vittoria, e questo nelle Olimpiadi* 120. *e* 121. *Or se da ragazzo si permise lottare, e ne vinse gli uomini già fatti, come poi nelle seguenti Olimpiadi permetteglisi lottare, e gli si ascrive a gloria la vittoria, cogli sbarbati? Così nella Olimpiade* 123., *come V. S. Illustrissima dimostra (nell' annot.* 8. *pag.* 55.) *ciò che par contrario al costume, del quale Ella s' incarica (nella sez.* 3. *pag.* 59.)

Intorno all' Appendice, nella quale trattasi della decadenza della Pittura, e Scoltura, io dalle ragioni, o da' testi di Petronio comprendo cavarsi la decadenza della Pittura, e Scoltura de' corpi nudi per la ragione congetturale della decadenza de' Ginnasj. La mancanza dello studio de' corpi nudi per l' infrequenza degli objetti, se potrebbe esser di ostacolo alla Pittura, e Scoltura de' nudi, non par, che possa far perire affatto ogni sorta di Pittura, e Scoltura, e come suol dirsi, de' Panneggi. Oltre l' equivoco del testo Petroniano (pag. 134. *annot.* 10.) *il passo di Plinio par, che dia il crollo alla Pittura, ma confermi la Scoltura. Dicendo egli, che la Pittura era stata sbandita da' marmi, e dagli ori, sembra, che il gusto allora corrente, scostandosi dalle tele, si era appiccato ai marmi, ed agli ori, onde la scolpitura riceve la materia. Le vicende de' genj, l' incostanza del gusto degli Uomini, la Cristiana Religione introdotta, e dilatata non pajono per altro cagioni disprezzevoli di decadenza.*

Nella Iscrizione recata al §. 2. *della* 2. *parte del-*

la Diatriba al c. 5. pag. 150.) Ευανθῆι *non vuolsi correggere nella not. 4. per l' osservazione de' Grammatici, che in alcuni casi i Nomi proprj della prima de' contratti soglian costruirsi alla foggia della prima de' semplici, e per l' autorità di Plutarco, e di Stefano. In quanto alla prima, quest' osservazione procede soltanto per l' accusativo, e vocativo; e non già per lo dativo, per quanto io sappia. L' autorità di Plutarco, quando gli accenti si credano d' invenzione de' secoli mezzani, poco gioverebbe: potrebbe dubitarsi eziandio di scorrezione nelle stampe, od anche ne' testi a penna. Il marmo per l' accento, e jota* adscripto *poco può fare autorità: i marmi dell' età migliori peccano di scorrezioni, tanto i greci, quanto i latini: e senza uscire da questo marmo,* βραβίον *scrivesi in cambio di* βραβεῖον. *L' autorità di Stefano vale quanto quella di Plutarco, perchè è a quell' appoggiata. Dall' essere* ἐυανθής *appellativo* oxitono *così presso lo Stefano, come appresso lo Scapula, essendo assunto a nome proprio suol farsi* paroxitono *da' Greci. Così* ἀγητὸς admirabilis; *ed* ἄγητος *nome proprio, e cento altri, che adduce nella Silloge delle voci, che per la varia significazione variano gli accenti, il Cirillo, o il Filopono, o chiunque altro ne fosse l' autore, stampata in fine del Lessico di Gio: Scapula dell' edizione di Leiden 1652., ove infatti va notato* ἐυανθής *appellativo, ed* Ευάνθης *nome proprio.*

Che l' uso del greco linguaggio durato aver potesse in Napoli anche ai tempi di Augusto, non è necessario ricorrere alla scoperta d' Iscrizioni greche di que' tempi, nè tampoco in conseguenza queste doversi credere opera

di

di Greci peregrini , come nella sez. 2. del §. 3. *della Diatriba (al c.* 5. *pag.* 175.) *In Sicilia quattro secoli dopo, che cessò di esser soggetta a' Greci Imperatori, sotto la schiavitù de' Saraceni, ne' tempi Normanni, e fino a' tempi Svevi durò l' uso della greca favella , come s' incontra ne' Diplomi di que' tempi , negli atti pubblici voglio dire di una Corte affatto lontana dal greco linguaggio . Così e maggiormente par , che dir si possa di Napoli, così di Pozzuolo , che anche dopo di esser Colonia trattener potea nel volgo il greco linguaggio.*

Nella sez. 1. *del* §. 4. *della* 2. *parte della Disputazione (al c.* 5. *pag.* 184.) *io non ben comprendo , come Pozzuolo dicasi aver ricevuto il diritto di Colonia da Nerone per testimonianza di Tacito , quando dall' anno* 560. ab *U. C. dicesi di essere divenuta Colonia. Qualora si dovesse conciliare con dire, che al* 560. *ebbe il diritto , che poi non si effettuò, o tosto si estinse ; potrebbe credersi , che fra lo spazio del tempo di due secoli incirca corso tra il* 560., *e l' Impero di Nerone potè conservare il greco linguaggio non ben ancora estinto dal latino della Colonia , la quale infatti poscia dovè replicarsi . Il non farsi poi verun conto de' monumenti privati in lingua greca, mi sembra un poco duro, tra perchè non potendoci assicurare di essere stati dissotterrati tutti i monumenti sepolti, non si sa, se forse se ne incontreranno de' pubblici ; tra perchè dalla scoverta promiscua di monumenti greci , e latini ; questi pubblici, quelli privati, si potrebbe congetturare, che il greco linguaggio degli Aborigini fosse nel volgo , il latino poi nel pubblico Magistrato per ragione della Colonia : ciò*

 che

che non torrebbe di poter dirsi Città greca nella sua origine. Che tutti i privati monumenti fossero di gente greca forestiera dimorante in Città latina, già sopra ho detto sembrarmi alquanto duro. Che delle monete riferite dal Goltzio debbasi far poco conto, per non ritrovarsi nell' esimio Medagliere del Signor Duca di Naja, non mi persuade interamente. Se ciò fosse, dovrebbero giudicarsi sospette le monete più rare.

Che le Colonie Romane, dalla feccia della Plebe composte, avessero usate voci barbare in apporre i nomi proprj a' luoghi, come dicesi nella not. 6. pag. 186. sarebbe da confermarsi con qualche esempio.

Passando alla Dissertazione de Buthysiae Agone Puteolano, *la opinione del Pighio non pare da condannarsi da ciò, che ricorra alla Filosofia nella spiegazione della Favola. Non è la Filosofia origine troppo ignota nella Mitologia. Il Bue coll' umano aspetto può darci ben ad intendere la fatica di quell' animale senza l' accompagnamento del Bifolco giovare a nulla. Tutto questo da V.S. Illma s' insegna, e si conferma dal* §. 1. *della* 1. *pagina della Dissertazione: ma passando poi a dimostrare esser egli anzi un simbolo di Acheloo fiume d' Etolia, e che dagli Etolj fosse passato ad altre Provincie; io non so, che abbian che fare gli Etolj, e gli Acarnani colla Sicilia, in molte Città della quale trovansi monete con questo simbolo. Se mi accorda esser questo simbolo di qualunque fiume, che fecondasse alcun Paese, e meglio l' intendo, e tutto quel che ne raccolse il Signor Principe di Torremuzza ne' prolegomeni alle antiche Iscrizioni di Sicilia (annot. d. pag. 26. seg.) me ne conferma.*

Le

La dimora de' Calcideſi nella Teſprozia, per quindi aver pigliato l' uſo di codeſta impreſſione nelle monete, a confermarſi, l' autorità di Scaligero non ſembrami di peſo baſtevole.

La forma della Sigma lunata non eſſer marca, che facci eſpungere dalla antichità le Iſcrizioni, che la recano, ſi prova dal Principe di Torremuzza nelle Iſcrizioni di Palermo (pag. 239.) Sicchè la forma lunata di eſſa lettera non credo offendere l' antichità della Iſcrizione recata pag. 300.

Ometto qualche altra leggiera minuzia, come coſa da non farſene verun conto. In queſto che io ho ſcritto, mi proteſto di bel nuovo, di eſſermi arriſchiato a proporlo al di Lei ſaviſſimo diſcernimento, ſperandone piuttoſto l' indirizzo ad accorgermi, dove, e perchè non ho capito ciò che da V. S. Illm̃a con tanta vaſta erudizione a beneficio di tutto il Mondo letterario è ſtato propoſto. Sono queſte opere da modello; ed io ſpero ſu queſta ſcorta di ſuperar me ſteſſo nelle occaſioni. Si compiaccia accogliere il mio riſpetto con quella gentilezza, onde ſi è degnata onorarmi; e poichè a nulla monta l' eſibir tutto me ſteſſo a' di Lei prezioſi comandi, ſtante i ſcarſi limiti, in cui va circoſcritto il mio nulla; farò almeno numero fra i ſuoi ammiratori, e vieppiù glorioſo ne andrò abilitato dal ſuo favore a ſegnarmi

Di V. S. Illm̃a, e Revm̃a.

Palermo 18. Luglio 1771.

Ge-

DEL DVCA RIARIO

Genova li 5. Aprile 1777.

Rm̃o Signor D. Niccola Amico e Padrone

SE non andate alla posta, come ho io da fare per comunicar con Voi i miei sentimenti, non essendo, nè io, nè Voi compresi nel beato coro degli Angioli, che s' intendono col solo pensiero? Non negherete però, che la vostra sincerità vi porta a confessare il vostro difetto, da me maledettovi mille volte; poichè il non ricordarsi dell' arrivo del corriere ogni settimana, non è meno che un Abderitismo pretto, non volendo far torto all' Epicureismo, che Voi avete elevato a titolo di onore. Vi dico, e vi replico, che ho ricevuto lo Spicilegio, ed il Muscettola, e ve ne ringrazierò ad nauseam usque. *Vi prego a non aggiungere tormenti ad un povero afflitto, con mostrarmi i vantaggi della mia presenza, ed i danni della mia assenza da' costì. Li so, li capisco, li valuto; ma Voi mi trattate come Giove ha fatto con Tantalo: datemi i mezzi da ritornare, e quelli da mantenermi in Patria, ed io volerò, non che correrò. In ogni caso* mea virtute me involvo, *ed il fato, che cristianamente si chiama Provvidenza, avrà cura di me, vedendo, che opero necessariamente, e privo di libertà.*

Cosa importa al Signor Ignarra di sapere qual sia l' iscrizione di Bonfadio, valendo più un' allievo della famosa scuola Mazzochiana nel gusto lapidario, che tutti i manierati Epigrafisti del cinquecento? cosa vi preme di

adat-

adattarvi al genio di questo Paese, imitando uno stile, che non sarà mai recato nelle croniche dei collettori antiquarj? Ugualmente ammireranno, e copieranno i leggitori l'iscrizione nuova della Regia Camera, e con più di giustizia. Ciò non ostante, per quietare la vostra curiosità, e fantasia eccovi la famosa iscrizione del detto Bonfadio posta in questo modo.

AVCTA EX S. C. MOLE
EXTRVCTAQVE PORTA
PROPVGNACVLO MVNITA
VRBEM CINGEBANT MOENIBVS
QVACVMQVE ALLVITVR MARE
ANN. MDXXIV.

Io non son da tanto da criticare un così accreditato autore; ma desidererei di vedere il nominativo che appoggia quel cingebant, *quantunque si capisca, che vi si sottointende* Genuenses. *Eccovi un terzo tentativo da me fatto sull'Epigrafe, e vi ho aggiunto sotto quei dubbj, che mi restano. Vi si aggiunge la quistione insorta oggi, se meglio dicasi* Ager, *che* Pila *quel che noi chiamiamo* Moli, *ossia fabbrica tirata avanti per rinfrangere la direzione dell'urto delle acque. Non crediate però, che ciò non ostante io abbia, nè concetto, nè impegno per la mia opera; che anzi vorrei, che ne immaginaste una degna di Voi, e me la mandaste; ed allora io farei conto, che i ragazzi finissero di scherzare, all'arrivo del Maestro. Vi ho supplito questo mio lavoro fertile nel solo caso, che la vostra volontà, o la vostra po-*

potenza, fossero contrarie ai miei voti, anzi ai nostri; poichè non vorrei, che un monumento, che già i Signori Cambiagj stanno elevando, restasse lungamente attrassato dalla atonìa dell' anima vostra indolente.

Monsignor de Marco è in Napoli, la Principessa di Belvedere è morta. Non mi dite nulla di ciò? Niente affatto.

Come volete, che io creda i vostri languori, quando ho sentito vantarveli quando io invidiava il vostro stato? Sì sì che dovrei esser da voi compatito essendo stato 28. giorni in letto per un arresto nel capo, e febbre infiammatoria. Ora ho incominciato ad uscir di casa; ma mi ritiro la sera, andando assai lentamente la mia convalescenza, finchè non si confermi la stagione migliore.

Saprete la rivoluzione di Madras contro gl' Inglesi piazza importantissima al loro commercio; e la disgrazia che incontrano di non poter a qualunque prezzo far reclute per l' America, non volendo veruno impegnarsi a militare fuori d' Europa. I Triumviri divisori della Polonia, ora hanno intrapreso quella della Turchia Europea. L' Imperatore fa eccedenti preparativi militari: ha richiamate in Germania tutte le truppe della Lombardia Austriaca, ed ha ordinato, che siano rimpiazzate dalle milizie urbane: ed in una mattina serrando tutte le porte di Vienna, e facendo circondare quella Capitale da una partita di Cavalleria, ha levato a forza in essa 5. mila giovani senza instituto, nè mestiere. Si dice la morte di Mugnino seguita appena dopo il suo arrivo a Madrid; ma questa notizia è troppo ancora indigesta, e merita gran conferma prima di ottener creden-

denza. D. Marcello nostro mi scrive di esser caduto nella sua stanza, e di essersi rotto il muso, ed un ginocchio: chi sa però che non sia un di quei mali che possono superarsi con un miracolo di Niccola Pettola? E quì finisco all' onore de' vostri pregiatissimi Comandi. Vale

Riarius tuus.

DI PIETRO BORGHESE.

Roma 17. Febrajo 1764.

Illmo Signor Abate Patne Colmo.

CHe dirà mai V. S. Illma di me, che non ho sin ad ora adempiute secolei le promesse fattale di darle contezza del gradimento, che Monsignor Giacomelli avesse dimostrato nel ricevere e leggere la dotta elucidazione, che per parte sua dovea presentargli, da Lei composta sovra la nota greca iscrizione Eracleese? E che dirà, se di ciò neppure presentemente la ragguaglio? Tanto è: Poco dopo il mio arrivo quì mi portai al Quirinale per eseguire la di Lei commessione, e non avendo avuta la sorte di trovare in casa Monsignore, pensai bene di lasciare ad un servidore l' involtino con ordine di passarlo in mano del padrone, subito che fosse ritornato, e coll' idea di tornarvi poi io stesso dopo qualche giorno, ed avere perciò modo di entrare in discorso col suddetto Prelato sul merito della dissertazione, che avendola letta me ne avrebbe potuto parlare più a lungo, ed io avrei con

 ciò

ciò avuto modo di ſoddisfare la promeſſa, e di eſeguire nel tempo ſteſſo i di lui comandi; ma un raffreddare beſtiale ſovraggiuntomi mi ha fin ad ora impedito di eſeguire la diviſata biſogna, con obbligarmi a guardare la ſtanza con mia ſomma noja e diſpiacere; coſicchè avrà Ella la bontà di avermi per iſcuſato preſentemente, ſperando di poter in brieve eſſere libero dal diviſato malore, ed avanzarle la bramata contezza, potendole però ſoggiungere, che la ſudetta diſſertazione ha incontrata tutta l' approvazione appreſſo il P. Rmo Giorgi Agoſtiniano, autore dell' Alfabeto Tibetano, e uomo de' già dotti di Roma nelle lingue erudite, non che nelle ſcienze.

Perchè poi queſta mia non le rieſca una mera e nnda ſeccatura, le ho traſcritta nell' oppoſta facciata una lapide greca inedita, e trovata di freſco nelle vicinanze di queſta Capitale, di cui è per ſervirſi quanto prima un mio Amico in una ſua opera, addimandandone io il di lui ſentimento circa ſpecialmente la voce CIBOΥPH-CIωN, *ed approvando io appieno le congetture di quello, che vi vuole ravviſare i Cittadini della Suburne. Ella mi farà poi la finezza di tenermi raccomandato alla buona grazia del Signor Duca di Noja compitiſſimo non meno che eruditiſſimo Cavaliere, da cui de' ricevuti favori ſerbo viva memoria, & ad onorarmi di qualche ſuo comandamento, per la ſollecita eſecuzione del quale ne avrò ſempre impedimento dal male, mentre con tutta la ſtima riverendolo paſſo a confermarmi.*

Di Lei Signor Abate Patne ed

EN:

ЄΝΘΑ ΔЄ ΚЄΙΤΑΙ ὁ
ΝЄΕΙΚΟΛΗΜΟC ὁ
ΟΑΡΧΩΝ
CΙΒΟΥΡΗCΙΩΝ ΚΑΙ
ΠΑCΙ ΦЄΙΛΗΤΟC
ΑΙΤΩΝ Λ ΗΜЄΡ. ΜΒ
ΘΑΡΙΑΒΛЄΒΙΝЄΩΤЄΡЄΟΥ
ΔЄΙC ΑΘΑΝΑΤΟC

RECENSIO ACTORUM (1)
S. IANUARII
EPISC. ET MART.

CVM anno ſuperiore RR. PP. Bollandiſtae, Viri Clariſſimi, Neapolim divertiſſent, tum Antiquitates Herculanenſes viſendi ſtudio, tum praeſertim, ut quae pertinent ad cultum Divi Ianuarii (cui iam commentando in illo Bollandiſtarum immortali opere locus erat), hîc, ubi cultura eius viget perhonorifica, ſuis ipſi oculis diligentiſſime perluſtrarent; anguſtiis temporis, quo per anni tempeſtatem Neapoli morari licuit, factum eſt: ut ea omnia, quorum cauſa huc appulerant, veloci tantum oculo percurrerint, & Antuerpiam maturantes, cognoſcendi ſitim magis acuerint, quam ſedarint. Ergo, ipſis abſentibus, percommodum viſum eſt per litteras agere cum Neapolitanis, ut quaecumque poſſent, unde unde de Ianuario corradere, de iis certiores facere ne gravarentur. Id ubi Communi Excellentiſſimae Civitatis Neapolis innotuit, qua magnitudine animi eſt, & prolixa ac pene incredibili bene merendi voluntate ſenſit ſui praecipue officii eſſe partes, Divi Ianuarii, cuius praeſenti ope, & patrocinio Neapolitana Civitas ſtat incolumis, res geſtas ubique terrarum teſtatas facere; continuo id dedit operam, ut Acta Ianuarii quaecumque in Bibliothecis noſtris deliteſcerent, ſuis impenſis colligerentur, & ſi quae eſſent

(1) Editione paene abſoluta, liber iamdiu expetitus in publicum prodire geſtiebat, cum in manus meas venerit *Recenſio* haec; quam ne peſſum iret, calci operis appingere placuit. CASTALDIVS.

essent Divi Ianuarii effigies antiquiores aere incisae, Anruerpiam transmitterentur. Ergo generosissimi Equites *Deputationis S. Ianuarii*, ad grandia, & ad patriae dignitatem unice nati, id negotii demandavere IIIViris pietate, doctrina, & peracri ingenio spectantissimis, ut certa ab incertis secernentes, quae usui esse possent, transcribenda curarent; quod impigre, & strenue factum, & ingens Actorum volumen confectum est; at quoniam haec tumultuaria congeries, nescio quid confusionis prae se ferret, visum est, ut brevis Commentatio praeiret, qua quem sibi quaeque locum Acta haec postularent, indicaretur; ergo his IIIViris curantibus, & opus urgentibus, hunc, qui sequitur, brevem Commentarium vicaria manus digessit; in quo primum de Patria Divi Ianuarii, deinde de Actis, mox de Cultu, qui apud Neapolitanos obtinuit; praeterea de diversis vario tempore Translationibus, & de Ecclesiis, denique de eius Reliquiis differetur. Interim hoc unum praefatum volo hîc, pensi nostri non fuisse absolutissimam de Divo Ianuario dissertationem de novo recudere; sed aut ab aliis intentata producere, aut iam occupata levi brachio refricare.

§. I.

De Patria Divi Ianuarii, & de Die Passionis.

PRimum de Patria est inquirendum; nam quem Beneventani sibi civem asserunt, eumdem Neapolitani suum esse quovis pignore contendunt. Ergo Paulus Re-

Regius, quem plebeio ingenio, & ſtylo fuiſſe merito conqueritur Caracciolus, primus fuit, qui hanc fabellam Beneventanis propinare conatus ſit; mox eum ſecuti ſunt David Romaeus, & Bernardinus Siculus ſimplicitate potius, quam hiſtorica accuratione commendandi. Atque hi non alio nituntur argumento, quam quod utcumque erui poteſt: I. a gentili Ianuariorum nomine, quos adhuc Beneventi eſſe aiunt: II. a Sede Epiſcopali, quam ſicuti Beneventum fuiſſe conſtet, eamdem, & patriam eſſe debere affirmant; cum non aliunde, quam ex Patriae membris Epiſcopi olim eligerentur: III. a traditione, quam in tuendo Ianuario cive Beneventano fuiſſe conſtantem aiunt: IV. a quodam lapide, qui Ianuarium communicipem facit cum Feſto, & Deſiderio Beneventanis. At vero Neapolitani haec contra ſe intentata ſuſque deque habent; nam primo aiunt, argumentum a gentili nomine deſumtum nimis probare; ſunt enim Ianuarii Mediolani, ſunt Romae, ſunt & in ipſa Neapoli. Ad Sedes autem Epiſcopales procurandas, etſi cives, ut plurimum electos fuiſſe, & ipſi ultro affirmant; at id ſemper factitatum omnino negant. Porro de traditione ne verbum quidem ullum ſe commutare velle ſignificant: quis enim cordatus homo in rebus tot intervallis ab aetate noſtra diſſitis infidae vulgi opinioni quantulamcumque fidem praeſtaret? Inſcriptionem denique plumbeus ſit oportet, qui ſtatim non animadvertat, ita inconcinnam eſſe, & ita male conſutam; ut merito eius ſcalptor Lege Cornelia de falſis corruptiſve tabulis argui potuerit.

Iam

Iam vero patriam Ianuarii fuisse Neapolim plura faciunt. In eius Actis prope a fine dicitur Ianuarium ejusque socios in suas quemque civitates elatos fuisse. Atqui Misenates Sosium, Puteolani Proculum, Beneventani Festum, & Desiderium, hoc est, suos quisque conterraneos, extulerunt; nihil profecto esse video, quam ob rem Neapolitani in curando funere Ianuarii, cives se minus probarent.

Adhaec Auctor miraculorum S. Agrippini (quem Petrum Subdiaconum, qui Saeculo X. floruit, fuisse sane quam luculenter ostendit Vir eruditione sacra & profana clarissimus Alexius Symmachus Mazochius in dissert. *de SS. Episc. Neap.* p. 330.) ita de Ianuario meminit; ut non obscura de Neapoli patria reliquerit vestigia: ita enim quidam nomine Maurus paralyticus B. Ianuarium alloquitur: *Alme Pater Patriae*; etsi non ignoramus prolixissimum hunc titulum dari solitum aliis a civibus; tamen quando de peregrinitate alicujus aliunde non doceamur, eum ibi natum credere par est, ubi *Pater Patriae* sit salutatus. Quid plura? Beneventani ipsi Neapolim fuisse patriam vel ingratiis fatentur. Exstat Beneventi officium Divi Ianuarii vetustissimis characteribus exaratum, in quo haec leguntur: *B. Ianuarii velo contra ignem posito, ignis extinctus est; ut ostenderet, sicut promiserat, PATRIAE liberationem*; patriae, inquit, non utique Beneventanae, quae longius abest a Vesuvio; sed Neapolitanae, quae propter infamis montis viciniam ab ignitis torrentibus depasci periclitatur. Sunt praeterea Chronica, sunt Kalendaria vetustissima, in quibus di-

ferte

ferte Ianuarius adnuntiatur Neapolitanus; quae si omnia sigillatim vellem producere, infiniti esset, nec necessarii laboris; praesertim cum ea legi possint apud Antonium Caracciolum; qui, postquam inter ipsum, & Marium Viperam, ac Octavium Biloctam, lis ea de re exarsit, in id totus incubuit, ut hanc pro Neapolitanis persuasionem solidissimis rationibus constabiliret.

Hactenus de Patria. De Sede Episcopali, etsi eam tenemus, Beneventumque fuisse certissime habemus; quamdiu vero, & quampridem illam procuraverit, iuxta cum ignarissimis scimus. Imo de die quo decertavit, est qui dubitet. In Fastis marmoreis Neap. die XIX. Septembris sic scalpitur: NATalis S. IANVARII. At hîc id usque perpetuum est observatum; ut ibi dies emortualis occurrat, ibi PASsionis aut DEPositionis nota praefigatur; ubi NATalis appingitur Translationem, Basilicae dedicationem, aut tale huiusmodi designet. Ergo cum Neapolitanis visum fuit die XIX. Septembris scalpere Natalem S. Ianuarii, id dat intelligi, quemvis alium diem festum, praeter emortualem XIII. Kal. Octobris celebrasse. Praeterea in Menaeis Passio S. Ianuarii die XXI. Aprilis consignatur; imo nec serius eo mense decertari potuit. Acta sincera S. Ianuarii sic ordiuntur: *Temporibus Diocletiani Imperatoris, consulatu Constantini Caesaris, . . . & Maximini*. Atqui si martyrium in mense Septembri incidisset, signata tempora recto talo non starent; nam eodem anno, quo Martyr occubuit, iam a Kalendis Maii Diocletianus Imperio se abdica-

caverat; post quas Kalendas Constantius & Maximinus, non Caesares, sed Augusti salutabantur. Diductiora haec legi possunt apud Mazochium in commentario ad *Kal. Marm. Neap.* p. 279.

§. II.

De Actis S. Ianuarii.

EXstat in Bibliotheca Brancatiana M.S. Codex Chioccarelli, rerum patriarum diligentissimi scrutatoris, in quem Codicem Acta Divi Ianuarii undique conquisita comportavit. Nos ea tantum hîc curavimus exscribenda, quae melioris essent notae, & hactenus publicam usuram non praestarent, aut si iam typographicis formis expressa sint, iuvabit edita cum hoc altero M.S. conferre. Ergo pag. II. producitur Legenda ex Codice litteris Langobardicis in pergamena exarata, & supra annos mille, (ut Chioccarellus autumat, qui Saeculo XVII. floruit) conscripta. Mox excipit pag. XVI. altera Legenda eruta ex vetustissimo Officio, quod praeteritis temporibus apud Neapolitanos obtinuit, quae iungenda est cum Lectionibus Officii S. Ianuarii anno 1525. impressi p. CXXXIII. His accedit tertia Legenda ex antiquissimo pariter Codice exscripta pag. XXI. Sequuntur lectiones, quae olim erant in Officio Ecclesiae Beneventanae p. XXXVI. & Capuanae p. XLIV. Nostrum non est hîc suum cuique scriptorum irrogare pretium & aetatem; scimus enim quam difficile sit per salebrosa vetustatis

vestigia certum iter ingredi, & offusas retro acti temporis caligines inoffenso pede percurrere. At quoniam ea interdum huiusmodi sint; ut qua argutando, qua rimando coniecturâ assequi possimus, age quid de his tuto affirmari possit experiamur. Igitur, ut a primis Actis p. II. ordiar, nihil moror Chioccarellum saeculo sexto ea conscripta opinantem; magis id adeo docere debuerat, quibus ductus argumentis haec Acta ipse antiquitate tanta donaret. Chioccarellum secuti sunt Illustrissimi Episcopi Falconius, & Sabatinus. At contra nobis alia sedet sententia; nimirum ea Acta saeculo X., & fortasse XI. non esse antiquiora; nam maiora, quam quae Ioannes Diaconus in Vita S. Ianuarii attulit, admetiuntur: praeterea id suadet stylus scripturae misere corruptus, qui nonnisi illis tenebricosissimis temporibus convenire potest. Incredibiles passim inseri narrationes conqueritur Tillemontius vir subacti ingenii. Adeone obfirmato animo Timotheum esse, ut per quem visum recuperarat huic eodem die caput obtruncari iusserit? mihi quidem non fit verisimile. Praeterea Timotheus, Ianuario jam minuto capite, exquisitissimis doloribus tortus ita in his Actis loqui inducitur: *Crucior ego miser . . . Angelus autem Domini cruciat me*: quis, rogo, Timotheum condocefecit de opera Angelorum, qui velut accensi ad vindicanda hominum scelera Deo apparent? Haec, atque alia id genus legenti occurrent, quae, si Tillemontii iudicio fides est, Metaphrastem potius, quam biographum V. aut VI. saeculi produnt.

Illud nobis opponi posset, quod in hac Legen-

da

da prope finem legitur; *Et posuerunt in Basilica, ubi NVNC requiescit;* h. e. in Basilica extra moenia, in qua olim iacebat ante raptum Siconis, qui anno circiter 818. corpus B. Ianuarii transtulit Beneventum; quo pacto Legenda antiquiorem, saltem ineunte IX. saeculo se probaret. Testatur Cl. Mazochius se in pluribus Sanctorum Actis huiusmodi fallaciam deprehendisse, in quibus praeter verum appingitur istud NVNC, vel VSQVE IN PRAESENTEM DIEM; ut in Actis S. Athanasii Episcopi Neapolis, quae exeunte XI. vel ineunte XII. solidissimis rationibus conscripta ostendit in Differt. de *SS. Episcop. Neapolitan.* pag. 357. seqq. atqui in his Actis legitur S. Athanasii corpus conditum fuisse in Casinensi Ecclesia S. Petri Apostoli, *ubi exuberant mirabilia . . . usque in praesentem diem;* istud vero *usque in praesentem diem* ad saeculum IX. pertineret, quo S. Episcopi reliquiae e monte Casino translatae sunt Neapolim. Et quod magis nostra interest; scriptor vitae S. Severi Episcopi Neapolitani, ut se anno 818. antiquiorem ostenderet, inquit, S. Severum tumulasse corpus Divi Ianuarii in Ecclesia extra moenia, *in qua requiescit usque in praesentem diem;* at biographus hic eo anno non paulo recentior demonstratur a Cl. Mazochio in *Comment. ad Kal. Marm.* tom. 2. p. 262.

Haec eo pluribus prosecuti sumus, quod Acta haec, de quibus loquimur, antiquiora ceteris, quae Chioccarellus affert, videntur; nam quae sequuntur, vel hinc in pauca contracta sunt, vel laxioribus verborum spatiis ampliata contexuntur. Huiusmodi sunt

Lectiones Breviarii Neapolitani, Beneventani, & Capuani contractioribus quidem verbis, ſed eiſdem plane narrationibus a capite ad calcem decurrunt. Neque aliunde transfuſa eſt illa longiſſima Legenda pag. XXI. oratorio artificio ſane quam lepide exornata, quam integram Illuſtriſſimus Falconius Archiepiſcopus S. Severinae, poſt Caracciolum, producere ſuſtinuit. Ea perperam putatur non eſſe recentior anno 818. ex indicio illius inciſi: *Corpus eius* (Ianuarii) *auferentes, iuxta Neapolim tranſtulerunt; atque in Baſilica, ubi nunc requieſcit locaverunt*; ſed τὸ NVNC quam in partem ſit accipiendum ſupra diximus. At vero Legendam hanc non eſſe antiquiorem exeunte ſaeculo XI. illud in primis facit, quod pag. XXXII. legitur; nam ubi dixiſſet in Marciano Ianuarium primum quieviſſe, ſtatim ſubdit: *Poſtea vero quieto jam tempore, religioſi quique Pontifices ſingularium urbium Parthenopenſis regionis corpus ejus auferentes &c.* Hic *Pontifices Parthenopenſis regionis* tantumdem eſt, ac Epiſcopi Neapolitanae provinciae; credidit eius ſcriptor, iam inde a ſaeculo IV. quo acerbiſſima Chriſtianorum laniena a Tyrrannis imperata refrixit, Neapolitanam Eccleſiam iure Metropolitico inſignitam fuiſſe; ita ut in ſua regione, h. e. provincia, plures Epiſcopos ſuffragatores numeraret: atqui Neapolis exeunte ſaeculo X. Metropolis facta; itaque multo ſerius ea Legenda ſcribi debuit, h. e. exeunte XI. ſaeculo, aut XII. cum Metropoliticae dignitatis initia plane erant incomperta. Ac fortaſſe ſcriptor floruit XIII. ſaeculo, tum cum homines Acta ſimpliciora inſuper habentes,

non

non ad veritatem hiſtoriae, ſed ad ſpecimen ſtyli concionatorii, h. e. declamatorii, *per ſynomima laudes . . . texere , & per exornationem illam , quam expolitionem Rhetores nuncupant, quae pauca admodum, in plura extendere ſatagebant ;* quod Albericus teſtatur ſe factitaſſe in vita S. Aſpreni , quam XIII. ſaeculo edidit. Vide Cl. Mazochium in Diſſert. *de SS. Epiſc. Neapolit.* p. 202.

Optandum ſane eſſet, ut aliquando in conſpectum ſe darent Acta S. Ianuarii antiquiora, quae ſimplicitate ſe ſua commendarent ; quibus nos carere , eſt quod doleamus ; niſi quod habemus elogia duo in genuino Bedae Mrologio auro contra non cara : uſque adeo brevitate, veritate fucis minime quaeſita, & quod caput eſt, antiquitate ſe probant. Eadem haec elogia tum Rabanus , & Ado , tum Vſuardus, & Notkerus in ſua Mrologia derivarunt ; niſi quod illi totidem verba, ac Beda uſurparunt ; hi eaſdem quidem narrationes, ſed contractiores attulerunt ; cuiuſmodi ſunt Mrologia , quae damus pag. XLV. Acta vero haud paulo ampliora , at cum Beda plane convenientia , ſunt illa , quae primus edidit Cl. Mazochius ad calcem tom. I. *Kal. Marm.* pag. 269. Ea exarata repeTiuntur in Codice confecto anno 1280., & ſi verum narrat Illuſtriſſimus Sabatinus (indicio ſibi facto a viro Cl. Caeleſtino Petracchi) ann. 1180. Haec eadem acta ex antiquioribus Graecis exſcripta ſatis accurate oſtendit Mazochius tom. I. p. 269. tom. III. p. 966. nam etſi barbarie , & ſolaecis a capite ad calcem diffluant ; tamen graeciſmis ita ſcatent, & in

ipſis

ipsis latinis verbis tale linguae graecanicae ingenium in oculos incurrit, ut graecum omnino scriptor se prodat. Ergo, si quid nobis sumendum est; Acta haec sunt omnium simplicissima, sine fuco, & fallaciis (quas Tillemontius cetera Acta admetiri conqueritur); & magis id adeo commendanda sunt, quod sive XII. saeculo, sive serius compacta sint; immunia tamen se praestitere a portentosis illis iam in vulgus disseminatis narrationibus; quod commisissent nunquam, nisi quis antiquior, & compertae existimationis biographus praelusisset. Sed quid tricamur? haec ipsissima Acta perspicue & dilucide probat Mazochius antiquiora esse Ioanne Diacono, unde sua chronographus hausit in compingenda vita B. Ianuarii, vide eius Commentarium ad *Kal. Marm. tom.* III. p. *964*.

§. III.

De cultu S. Ianuarii apud Neapolit. & de diebus festis.

IAnuarii patronatum esse Neapoli vetustissimum illud est argumento, quod narrat Vranius scriptor saeculi V. in vita S. Paulini; cui decumbenti S. Ianuarius apparuit: *E quibus*, inquit, *Ianuarius Episcopus simul & Martyr Neapolitanae Vrbis illustrat Ecclesiam*. Imo Ianuarium fuisse praecipuum patronum Neapol. iam inde a saeculo VI. dat intelligere subscriptio quaedam Petri Notarii Ecclesiae Neapol. ad annum 581. pertinens, & adscripta Codici Excerptorum S. Augu-

guſtini, quem Codicem S. Redux donat Eccleſiae Neap. ibi *per confeſſionem meritaque B. Ianuarii Martyris* (is Codex) *de archivo Eccleſiae, vel iure aliquo modo diſcedat* obteſtatur, ubi unus Ianuarius nominatur, praeterea nemo. Dicerem ad haec S. Martyris cultum eſſe Neapoli omnium vetuſtiſſimum, niſi mihi incommodaret ſcriptor Vitae S. Athanaſii, qui tutelam Ianuarii recentiorem Agrippiniana facit; is ubi locutus fuiſſet de Agrippino cuſtode, & defenſore Civitatis, ſtatim ſubdit: *Beatiſſimum quoque Ianuarium POSTEA Neapolites meruerunt habere tutorem*: neque huius cultura intra unius Neapolis pomeria ſe continuit, ſed longe lateque diffuſa Africam ipſam penetravit. Kalendarium Carthaginenſe ſaeculi V., opus a Mabillonio editum, XIII. *Kal. Oct. S. Ianuarii Martyris* feſtum adnuntiat. Adhaec memoratur in Hieronymi Mrologio, & in aliis Latinorum Graecorumque libris Liturgicis.

Sed nihil luculentius de Ianuarii cultu afferri poteſt, neque teſtatius numismatis publica auctoritate ſignatis, & ex altera parte effigiem S. Ianuarii prae ſe ferentibus. Horum plurima attulit, poſt Tutinum, & Chioccarellum, Cl. Muratoribus in *Antiquit. Ital. Medii aevi*. Utinam hi nummi felicioribus temporibus percuſſi eſſent, haberemus profecto veram S. Martyris iconem; at cum ii tenebricoſis ſaeculis, quum ingenuae litterae cum bonis artibus exſulaſſent, ſignati ſint; nihil inde certi exſpiſcari quimus. Enimvero ſunt nummi, in quibus Beatiſſimus Martyr iuvenili admodum facie, crine criſpan-

ſpante, & caeleſtem gratiam ſpirans viſitur; at in alio apud Muratorium exhibetur annoſior, & cum barba aliquantulum promiſſa, in cuius averſa parte ſcalpitur Sergius Dux puerili ſpecie, qui ineunte ſaeculo XI. Ducatum Neapoli geſſit; de quo nummo praeſtabit audire Cl. Mazochium in *De SS. Epiſcopis Neaplitanis* pag. 307. *Atque a Sergii Ducatu coepit Ianuarius exprimi annoſior, & cum modica barba, ſicuti & in Muſivo S. Mariae de Principio viſitur. Niſi quod Carolus II. in ſimulacro Theſauri, quod ex auro & argento conflavit paullo iuniorem, & barba deraſa exhibuit*. Praeter effigiem S. Ianuarii in Capella S. Mariae de Principio muſivo opere fabrefactam, quam ad fidem exemplaris expreſſam damus eſt altera antiquior (eadem tabula aenea exhibita), quae viſitur in Capella S. Marciani Epiſcopi Neapolis aedi Cathedrali attigua: huius de antiquitare hoc tantum tuto praeſtare poſſumus vetuſtiorem eſſe hodierna Cathedrali Neap. 1313. dedicata, imo eâdem non paullo antiquiorem ex vetuſtiſſimarum, quae ibi cernuntur, imaginum, & breviſſimae mitrae certiſſimo indicio docemur. Illud autem ſedulo eſt animadvertendum in utraque imagine tum ex Muſivo S. Mariae de Principio, tum ex Oratorio S. Marciani, quod Ianuarius ita pingitur, ut qui adoleſcentia iam exacta in virorum cenſum ex virili habitudine adiudicari poſſit; barba vero quantum ex fugientibus vetuſtate lineamentis exculpi poteſt, vel penitus corraſa eſt, vel tum primum imis genis deſerpit. At, inquies, quo pertinet iſthaec exquiſita ſedulitas? nimirum ad indagandam laxioribus

licet

licet finibus antiquitatem marmoreae ſtatuae Divi Ianuarii, quae Puteolis ſumma religione colitur in Coenobio PP. Capuccinorum. Effigies ipſiſſima ad fidem marmoris expreſſa eſt in tabula aenea. Ea omnium antiquiſſima nobis videtur, cum ex pontificalibus indumentis, & breviſſima mitra, quae taeniam unam ex parte poſtica demittit, tum ex iuvenili prorſus facie S. Martyris, ut in nummis ſaeculi IX. & X. ſcalpi mos erat. Quam ob rem, quo conie&#x1d;ctura noſtra plus in ſuadendo habeat auctoritatis, anticam, & poſticam orthographiam curavimus deſcribendam.

Iam vero noſſe proderit, quibus diebus cultus B. Ianuarii agitatus olim fuerit. Duplex olim feſtum in honorem S. Martyris inſtitutum eſt, Natalis, & Translationis. Natalem diem XIII. Kal. Octobris celebratum fuiſſe certos nos facit, praeter Tabulas Marmoreas ſaeculo IX. ſcalptas, vetuſtiſſimum Kalendarium Carthaginenſe ſaeculo V. exaratum: niſi quod in marmore perantiquo apud Muratorium, & Mazochium ad *Kal. Marm. Neap.* p. 905. menſe Septembri ſic ſcalpitur: *Die XX. M. SS.* (h. e. menſis ſupraſcripti) *N. SCI. Ianuarii*. Qui Natalis dies quorſum accipiendus ſit, §. 1. diximus: At vero anno 1266. ex menſe Septembri in Maium translatam hanc celebritatem diſcimus ex diplomate Clementis IV. cuius verba producere haud abs re erit: inde quoque translati feſti occaſionem aſſequemur: *Volentes*, inquit, *ut B. Ianuarius apud Eccleſiam Neapolis, quae in eius honore dicitur dedicata, in eius maxime feſtivitate Fidelium laudibus ſollemniter extollatur; attendenteſque, quod*

 XIII.

XIII. Kalen. Oct. quo solet huiusmodi festivitas celebrari, singuli vindemiarum occupati laboribus, ab Ecclesiarum visitationibus necessario retrahantur, festivitatem eamdem, ut omnes liberius in eiusdem Sancti gloria iubilo devotae iucunditatis exultent, VIII. Id. Maii statuimus celebrandam. Memoriam Translationis (qua e fundo Marciano Neapolim in Ecclesiam extramuranam S. Ianuarius elatus est) mense Maio olim nostrates agitabant: at vero antiquioribus retro temporibus mense Aprili fuisse celebratam testatur Kalendarium Marmoreum Neapolitanum, in quo die XIII. Aprilis sic scalpitur: *Translatio B. Ianuarii*. Ad quam sollemnitatem conveniebant Populus, Clerici, Abbates, & Episcopi suffraganei coronis roseis redimiti. Qui ritus in causa fuit, ut festum hoc vernaculo nomine diceretur l' *Inghirlandata*: de his rosariis plura scitu jucunda collegit Cl. Mazochius ad XIII. Febr. p. 53. & in Dissert. *de Cathedr. Neap.* p. 53. Antonius Caracciolus suspicatur Translationem ipsis Kalendis Maii olim celebratam; *at postea*, inquit, *ut celebrior esset sollemnitas, translatam fuisse a Kalendis statis, ad mobilem diem primae Dominicae*.

Hi dumtaxat erant Divi Ianuarii festi dies, quique hodiedum obtinent; nisi quod ex occasione deplorandae illius Montis Vesuvii conflagrationis, quae anno 1631. accidit, maioribus nostris visum fuit aliam celebritatem die XVI. Decembris in memoriam conservatae Urbis & Regni instituere. Neapolis, & finitimorum agrorum vastitatem, & praesentissimum S. Martyris patrocinium volupe erit intelligere ex poë-

mate

mate non ineleganti Io: Baptiſtae Caccabi, qui tragico huic ſpectaculo interfuit. Poëma inter cetera collectanea p. XLVI. produximus. Neque omittendum eſt a Gaſparo de Diano Archiepiſcopo Neapolitano ſtatutum fuiſſe, ut ſingulis menſibus ſemel officium S. Ianuarii ſtatis diebus ritu duplici perageretur. Sed huius officii varias vices vide in Chioccarelli MS. p. CXXI. ſeqq.

§. IV.

De Translationibus, & de Eccleſiis B. Ianuarii.

DE Translationibus, & Eccleſiis iunctim agemus, quod ſacrae Reliquiae quo abductae olim fuerint ſciri non poteſt, quin eâdem opera ſimul unde translatae ſint aſſequamur. Neapolitani ubi, Deo miſerante, B. Ianuarium ſibi patronum impetrarunt, primum in Marciano tumulavere, ubi poſtea in eius honorem Baſilica conſtructa eſt. Fruſtra ſunt, qui ſibi viſi ſunt Marcianum in agro Nolano reperiſſe; nam non alibi locus hic quaerendus eſt, quam in vicinia Sulphurariae, ubi ſanctiſſimi Martyres decertarunt, ſcilicet inter collem Spinam, & lacum Anianum; quo in loco ex tabellionum chartis didicimus uſque ad XVII. ſaeculum ſtetiſſe villam nomine Marcianam. Antequam hinc abeamus praetermittendum non eſt ab Excellentiſſima Civitate Neapoli elegantem ſane Eccleſiam Divi Ianuarii cum coenobio PP. Capuccinorum ad latus Sulfurariae fuiſſe conſtructam, ubi antiquiſſi-

mum illud ex marmore ſignum, de quo §. III. diximus, ſumma veneratione colitur; & ubi dicitur Ianuarius decertaſſe. In ea Eccleſia haec viſitur inſcriptio:

DIVO IANVARIO
DIOCLETIANI SCELERE OBTRVNCATO
NE QVOD SACRI CORPORIS
CRVORE MADVERAT
SOLVM SINE HONORE DIVTIVS MANERET
NEAPOLITANA CIVITAS
PP. AERE P. F. ANNO M.D.LXXXIII.

Iam vero poſtquam multis annis corpus Sancti Martyris in Marciano delituiſſet, ſedata iam perſecutionum procella, S. Ioannes I. Epiſcopus Neapolitanus magna populi confluentis frequentia e Marciano ſublatum, Neapolim tranſtulit; & in Eccleſia, quam extra moenia vocant, ſuis ipſe manibus honorifice condidit: tametſi honor hic Ioanni I. praeripitur, & praeter verum S. Severo adſcribitur ab auctore vitae S. Severi Cl. Mazoch. ad XXIX. Apr. Tanta celebricate haec Baſilica inclaruit, ut ad veritatem eliciendam iuraturi huc ſuper B. Martyris Reliquias convenirent; & quiſque ſacerdotia ineuntium coram Antiſtite iureiurando ſe obſtringebat, quotannis hanc Eccleſiam viſitaturum his verbis: *Limina B. Ianuarii ſingulis annis perſonaliter viſitabo, niſi praepeditus fuero Canonica praepeditione*. Integram iuramenti formulam habes pag. CXVIII. niſi haec ſacra limina non extra moenia, ſed in ipſa Cathedrali quaerenda ſunt: mitto quod no-

nostri Antistites turbulentis temporibus eadem extramurana basilica pro Cathedrali usi sunt. Porro successu temporis S. Agnellus saeculi VII. Episc. Neap.; ne dumtaxat extra pomeria cultus B. Ianuarii vagaretur, in urbe Ecclesiam in eius honorem, cum Diaconia instituit; de quo praestat audire Ioannem Diaconum: *Hic* (Agnellus) *fecit Basilicam intus Civitatem Neapolim ad nomen S. Ianuarii Martyris, in cujus honorem nominis Diaconiam instituit, & Fratrum Christi cellulas collocavit &c.* Huius Ecclesiae Diaconiam rexit Ioannes; cuius modo verba produximus, qui chronico Episcoporum Neapol. contexendo magnam sibi diligentiae laudem qnaesivit. Vide Cl. Mazochium in *De SS. Episc. Neap.* p. 81. & 141.

Postquam sacra pignora per IV. circiter saecula in Basilica extramurana quievere, a Sicone Beneventanorum Principe, qui Neapolim vastatum venerat, inquietata fuerunt: atqui Sico, desperata urbis oppugnatione, truncum B. Ianuarii, qui extra moenia hostibus patebat, anno 818. Neapoli Beneventum asportavit. Huius translationis Acta ex Anonymo Beneventano descripta damus p. XLIV., & ab Anonymo Salernitano p. LXX. qui diu sub Erchemperti nomine ambulavit, donec a Camillo Peregrino viro doctissimo larva ei detracta fuit. Interim solum S. Ianuarii truncum fuisse abductum; caput vero, & ampullas sacri Cruoris, sive Sicone adsentiente, sive alia de causa Neapoli remansisse certissimum est; quae duo pignora saeculo IX. ac facile a S. Ioanne IV. Episc. Neap. in Stephaniam Cathedralem translata sunt; eique Martyri

cu-

cubiculum excitatum orantibus per quam idoneum; quo in cubiculo ubi altare ab S. Athanasio successore constructum fuit, in eoque Reliquiae reconditae, ab eo tempore Ecclesia S. Ianuarii vocari coepit. Mazochius in de *Cathedrali Neap.* p. 43. seqq. Id autem sacellum usque adeo inclaruit, ut Cathedralis ipsa ineunte saeculo XII. *Templum S. Ianuarii* audiri coeperit; quod certissimum fit tum ex auctore translationis S. Athanasii; ubi *Templum S. Ianuarii* est ipsissima Cathedralis. Mazoch. in *Dissert. de Cathed.* in anteloquio pag. 30. & in *De SS. Episc. Neapol.* p. 401. seq.

Verum a beatissimo Martyre Beneventum asportato ne deponamus oculos; quem ibi non diutius commoratum comperiemus. Anno 1129. sacra pignora Ianuarii fuisse in Ecclesia Beneventana dubitare non sinit Falco Beneventanus p. LXXII., at nihil minus certum est anno 1480. cum aliquot Sanctorum reliquiis reperta fuisse sub ara maxima coenobii Montis Virginis p. LXXIV. Quae autem causae incidere potuerunt, quove tempore, ut ossa B. Martyris Benevento in salebrosum montem Virginis asportarentur, varias viri docti excogitarunt coniecturas, ceteroqui non omnino spernendas; nos vero, quando id per certas tabulas, & idoneos testes suaderi non potest, re ampliata non liquere pronuntiamus. Porro anno 1497. die XVII. mensis Ianuarii Alexandro VI. P.M. truncus B. Ianuarii e Coenobio Montis Virginis, in id connitente Alexandro Carafa Archiepiscopo Neapolitano, translatus est in Ecclesiam Cathedralem, cui

ſacellum marmoreis ſubſtructionibus nobiliſſimum ſub ara maxima Oliverius Cardinalis Caraſa paravit, & ius patronatus gentilitium eſſe voluit p. LXXXVII. Huius Translationis memoria, olim die XVII. menſis Ianuarii celebrabatur; ac poſtea a Kalendario expuncta eſt. Atque haec de variis diverſo tempore Translationibus, & Eccleſiis: quid autem Reliquiis Capitis & Cruoris, quae numquam Neapoli abductae ſunt acciderit, atque ubi ſubinde quieverint, age videamus.

Primum haec duo pignora in extramurana baſilica quieſcebant; at poſtea, ne amplius Barbarorum incurſibus paterent, in Cathedralem Eccleſiam, ut ante diximus, translata ſunt, & in ſacello cognomine recondita. Ad ſitum autem huius oràtorii quod attinet; cum contiguum Cathedrali fuiſſe conſtet, in vicinia hodiernae S. Reſtitutae, olim Cathedralis, eſt collocandum, & facile ubi vetus Theſaurus fuit; in quo Caput, & Cruor B. Martyris cum ceteris Patronorum reliquiis non multis ab hinc annis aſſervabatur. At quoniam ſacellum hoc ſatis non erat populo ad Sanguinis liqueſcentis miraculum undique confluenti, ex voto ob peſtilentiam Neapoli graſſata, ſuſcepto, anno 1608. Excellentiſſimae Civitati Neap. viſum fuit novum Theſaurum ampliorem ſubrogare antiquiori; ergo ubi Xenodochium olim Athanaſianum ſteterat, Cimeliarchium impenſis regalibus extructum, & elegantiſſimis picturis lectiſſimiſque marmoribus ornatum ad honorem beatiſſimi Martyris, & Patriae dignitatem excitavit. Huius de magnificentia Templi diſſeri non po-

poteſt, quin ſimul in oculos incurrat Excellentiſſimae Civitatis munificentia; incredibile enim dictu eſt, quanto ſumtu, quantoque molimine tantam B. Martyris memoriam generoſiſſimi Patricii exornarunt, cui tuendae immenſum quotannis auri pondus impendunt. Structurae quamvis ſpatia non nimis laxa ſunt; ſed ingens ſtatuarum ex aere, & ex argento ſolido numerus qui ibi cernitur, ita ad regulas architectonices diſpoſitus eſt, nihil ut abnorme offenderis. Mitto cetera ornamenta Templi, & ſtatuae Divi Martyris ex auro & argento conflatae, & conſertiſſimis gemmis renitentis; haec enim omnia ſingularem ſibi libellum poſtularent: tanta eſt munificentia plane regalis Excellentiſſimae Civitatis, & ſuae in praecipuum Patronum pietatis prolixa ſignificatio! Quo in ſacrario, praeter cetera pignora SS. Patronorum, Caput & Cruor B. Ianuarii ſumma religione, & exquiſita diligentia in duabus ſeparatim capſulis cuſtoditur. Atqui prodigioſus Sanguis quo pacto aſſervari potuerit, noſtrum non eſt id tanto veterum ſilentio ne mutire quidem: narrationes, quae ea de re circumferuntur, recentioris notae ſunt; vulgo bonam feminam collegiſſe volunt p. LXXXIV. Hoc unum exploratiſſimum habemus, collectum fuiſſe Sanguinem, qui ſimul cum ceteris B. Ianuarii Reliquiis, iam inde a primis temporibus Neapolitanam Eccleſiam illuſtravit: quis autem ignorat paſſim Romae in cryptis ſecus ſacra pignora Martyrum reperiri ampullas cruore illitas? & tamen illas ſacras reliquias colimus, ut par eſt, & deoſculamur, ceterum nihil ſolliciti; quis vel quo modo

Cruorem illum ex defecto Capite falientem collegerit. Illud potius eft nobis ferio inquirendum, quandonam portentofius fanguis primum liquefcere vifus fit.

§. V.

De liquefcentis B. Ianuarii Cruoris Epocha.

RElíquias Capitis, & Sanguinis immotás ftetiffe credere par eft ufque ad novae Cathedralis aedificationem; tunc enim inquietatas ex eo conftat, quod Carolus II. Andegavenfis anno 1306. auro includi Caput iuffit: cumque ampullarum Cruoris thecam eiufdem videatur operis, coronamque impofitam habeat, tuto affirmare poffumus, eam thecam, vel ab eodem Rege, vel ab alio ex Andegavenfibus fuiffe fabrefactam. At vero ab eodem Carolo II. factam, multa negant argumenta. Nam Vrfinus Archiepifcopus Neapolitanus in fuo Rituali opere anno 1337. diu poftea, quam Carolus vivere defiit, evulgato, meminit quidem Capitis; de Cruore vero ebulliente nullam mentionem facit; potuitne res tanta, tamque mirandi prodigii filentio praeteriri? At diu poft Vrfinum h.e. poft medium faeculum XIV. id miraculum protrahi non poteft. Quid enim? Lupus de Spechiis, qui primus omnium huius prodigii meminit in vita S. Peregrini, quam circa medium faeculum XV. fcripfit, tam e longinquo id miraculum adfcivit, ut iam inde a faeculo XI. patrari crediderit, & a Peregrino

Scotorum Regis filio Neapolim divertente conspici potuerit: sed in id ἀναχρόνισμον numquam incidisset Lupus, si initia prodigii multo recentius ab aetate sua fuissent remota; plurimi profecto senes Lupum opportune dedocuissent, quippe qui initia miraculi aetate sua primum factitati probe meminissent. Ergo liquescentis Sanguinis epocha, nec ultra annum 1337. nec serius medio saeculo XIV. vagari potest; imo sub Regina Ioanna I., quae ab anno 1343. ad 1382. regnavit, tam stupendum prodigium fuisse animadversum non inepte suspicamur. Cl. Mazochius in *De Cathedr. Neap.* p. 50. seq. & MS. Chiocc. p. LXXXIV.

Haec ad antiquitatem miraculi pertinent, quod usque ad haec nostra tempora, Deo miserante, perennat. Sanguis autem ex desecto B. Martyris capite deciduus, & in ampulla vitrea obsignata asservatus, ubi in conspectum Capitis in aurata statua inclusi datur, primum colliquefieri, mox spumis supernatantibus effervescere conspicitur; usque adeo ut Sanguis e Thesauro concretus eductus, cum obiter ante aream Basilicae S. Ioannis Maioris, ubi particula ex ossibus B. Ianuarii publicae Fidelium venerationi proposita erat, cum hac, inquam, sollemni pompa efferretur ad Sedile, omnium admiratione liquatus cerneretur. Hanc narrationem a maioribus nostris accepimus, & nos manu publici tabellionis signatam damus p. CLI. Ter singulis annis prodigiosus Sanguis Capiti opponitur, in die Translationis Dominica 1. mensis Maii, Natalis XIX. Septembris, & Patrocinii XVI. Decembris. Et diem quidem Translationis olim Archiepisco-

ſcopus; in qua volebat Eccleſia agitabat; at anno 1527. Hieronymus Peregrinus Tribunus Populi ab Antiſtite impetravit, ut occurſus Capitis cum Cruore in Platea Populi fieret; quod poſtea Excellentiſſimi Nobiles ſingulis annis in ſua quiquè Curia ſunt imitati. Ergo recurrente ſabbatho, quod Dominicam I. Maii praecedit, mane Caput in aurea ſtatua incluſum effertur ad Curiam regio plane apparatu inſtructa; porro veſpere Sanguis indictiva omnium Ordinum pompa cum Archiepiſcopo, & frequenti Patriciorum comitatu eodem procedit, & e regione Capitis tamdiu ſiſtitur, donec, Deo miſerante, & pia vota Fidelium veniam, & pacem expoſcentium exaudiente, ille concretus, & lapidoſus Sanguis in morem ſalientis laticis cunctis aſpectantibus effervescit: mox immortali Deo conſolationis auctori actis gratiis, eâdem pompa ſimul utraque pignora Capitis, & Sanguinis triumphi ritu in Theſaurum reducuntur, & in ſuis capſulis ſeorſum reconduntur. Ter, inquam, ſtatis anni temporibus prodigioſus Cruor Capiti opponitur; at olim ſaepius id factitabatur: ſiquidem adventante Neapolim aliquo viro Principe, vel aliis ex cauſis conſpicuo, ad eius preces Sanguinis liqueſcentis copia fiebat; & nos, niſi vehementer fallimur, illum Belgam Godefridum S. I. cui anno 1661. die X. Martii id prodigii, annuente Eminentiſſimo Archiepiſcopo, & Excellentiſſima Civitate oblatum eſt, ſuſpicamur eſſe Henſchenium, qui inter Bollandiſtas non mediocrem diligentiae laudem conſecutus eſt. V. *Diarium* p. 8.

Porro de variis ebullientis Sanguinis vicibus ſi-


gillatim hîc non vacat differere. Id enim prodigium non uno modo semper procedit. Sanguis autem eductus e capsula concretus, ubi Capiti opponitur, statim, ut plurimum, effervescit, interdum serius; at aliquando iam liquefactus concrescit; interdum non omnino liquitur; ita ut circumrotantis manum non facile sequatur; alias totus assurgit, & ampullam vitream prorsus implet. At huius Cruoris prodigiosas vices quoniam longum esset percensere, producimus *Diarium*, quod in sacrario nobilissimi Thesauri B. Ianuarii asservatur; in quo volupe erit intelligere, quid singulis diebus ab anno 1659. (inde incipit *Diarium*) ad haec usque nostra tempora portentoso Sanguini acciderit. Praeterea hîc locus dicendi esset peropportunus, qua religione, & diligentia pretiosa haec pignora asservantur; sed malumus eam non parvi momenti, imo scrupulosam narrationem ex aliorum verbis, & fide publica signatis lectorum auribus ingerere.

Atque haec sunt, quae de B. Ianuario colligere quivimus; ceterum minutiora quaedam, & magis ad antiquitates patrias pertinentia, praetermisimus; non eo quod haec minimo a nobis habeantur pretio; sed iis supersedere satius duximus, quia nullus eis prope esset locus in illo immenso PP. Bollandistarum de Sanctorum Actis Oceano; in quem nonnisi ponderosa quaeque, & magis extantia comportare licet; imo hoc qualecumque id Commentarii est, impune omittere poteramus; meliorem procul dubio, & luculentiorem a se dare poterant PP. Bollandistae sacrae antiquitatis peritissimi, & in illustrandis Sanctorum Actis versa-

ſatiſſimi; ſed omnino parendum fuit Excellentiſſimae Civitati Neapolis; quae, ne quid ad cultum B. Ianuarii amplificandum deeſſet; praeterea, ut animi magnitudinis, liberalitatis, & incredibilis munificentiae, quam ſui apud homines concitavit, praeclare ſuſtineret, & tueretur; id dedit operam, ut omnes praecipui Patroni ſui res geſtae colligerentur; & ea in re ſi quid peccandum eſſet, non niſi exquiſita, & prolixa ſedulitate peccaretur.

FINIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München



INDEX

EORVM, QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Epistola nuncupatoria	III
Praefatio	XI
Nicolai Ignarrae Vita	XIII
Vetusti Epigrammatis editio altera	3
Pro Iacobo Martorellio Vindiciae	8
Auctoris Vindiciarum Palinodia	15
Graecorum Epigrammatum editio altera	43
De Inscriptione Graeca Heracleae reperta	57
In veteris Crucis Anaglyptum Commentariolus	77
Emendationes Hymni Homerici in Cererem	95
Risposta alle difficoltà dell' Abate Tardìa	124
In funere Mariae Amaliae Walburgae Oratio	135
Alexii Symmachi Mazochii Vita	153
Vitae Mazochii Synopsis	207
Carmina	209
Inscriptiones, & Elogia	221
Dedicationes, & Epistolae	264
Recensio Actorum S. Ianuarii	344

ERRATA	CORRIGE
Pag. VI. delendum eſt	dolendum eſt
VII. coepi	cepi
ibid. quot	quos
XI. lugubrationibus	lucubrationibus
XIII. ſatagerunt	ſategerunt
ibid. Ea vero	Eam vero
XVI. explanarentur	explanaretur
XVII. Roſcio	Roſſio
XIX. re-icit	rejicit
ibid. octuagenarius	octogenarius
3. ſide	fide
36. partem	parta
59. cum aſpeſo	cum aſpero
68. thyria	tyria
ibid. inſtat	inſtar
98. Hemericae	Homericae
131. effiggiati	effigiati
145. ſemina	femina
150. deficientlibus	deficientibus
169. quam ipſa	quam ipſi
173. peririculo	periculo
196. proptiſſimo	promptiſſimo
228. Perſani ſalavs	Perſani ſaltus
236. tutardam	tutandam
266. ab aetate primam	ab aetate prima
273. Pallgoriae	Pallagoriae
274. adumpratione	adumbratione
277. exclupſiſſe	exſculpſiſſe
286. cujus num	cujuſnam
295. impetrata tua	imperata tua
311. laudabant	laudabunt
318. Palimodia	Palinodia
ibid. laſcierà	laſcerà
3.9. orrori	errori
330. incommodarla	incomodarla
342. raffreddare	raffreddore
ibid. nnda	nuda
360. Celebricate	Celebritate

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Ignarra, Niccolò

Opuscula

Neapolis 1807

4 Philol. 42
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10687485-1